



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tractatus De Libertatibvs Ecclesiae Gallicanae

Charlas, Antoine

Leodii, 1684

Liber Primus De natura, origine, ac progressu libertatum Ecclesiae Gallicanae; occasione illorum verborum, Ecclesiae Gallicanae decreta, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38227

LIBER PRIMVS.

De natura, origine, ac progressu libertatum Ecclesiæ Gallicanæ; occasione illorum verborum, *Ecclesiæ Gallicanæ decreta, & libertates, earumque fundamenta Sacris Canonibus, & Patrum traditione nixa multi diruere moliantur.*



I. Um juxta Philosophorum doctrinam subjecti, de quo disputatur definitio sit principium, a quo profluit omnis, quæ de illo potest haberi, certa cognitio: operæpretium est Libertates Ecclesiæ Gallicanæ definire, quod à multis video esse prætermisum. Difficile quidem illud est; atque in hac etiam materia locum habet lex 203. ff. de regul. jur. *Omnis definitio in jure periculosa est; Parum est enim, ut non subverti possit; est tamen omninò necessarium, ne confusa, & incerta fluctuet ubique cogitatio.*

A

II. Ju-

II. Juvabit plurimum libertatum illarum originem investigare, ut illarum natura intimius penetretur. Nam, ut monet S. Ambrosius in præfatione comment. super epistolam ad Romanos. *Principia rerum prius requirenda sunt, ut earum notitia plenior possit haberi. Tunc enim facilius poterunt de-
mum intelligi, cum earum origines addiscantur.*

III. Sed imperfecta esset cognitio, nisi etiam libertatum progressus observaretur. Mirum enim, quantas afferat rebus mutationes temporis successus, non mutatis etiam nominibus. Homo dum animam efflavit, vulgò adhuc Homo dicitur, cum non sit. Ita non rarò accidit, ut, eodem nomine retento, res prorsus aliæ fiant.

IV. Itaque primus iste Liber totus erit in explicanda natura, assignanda origine, ac notando progressu libertatum Ecclesiæ Gallicanæ. Sed pauca præmittenda sunt de nomine ad rem cognoscendam conducentia.

DE NATURA OMNINO ANTIQVA
CAPUT PRIMUM.

Cur nomen libertatis Ecclesie Gallicanae plerisque odiosum, aut certe suspectum sit.

1. Olim libertatis nomine nihil poterat audiri iucundius, cum tyrannidem, servitutem, & necessitatem, quibus nihil potest excogitari gravius & magis exosum, à cogitatione arceret. Verum quia eo abuti cœperunt quotquot in Rempublicam, in Principes, & in Ecclesiam ipsam rebellarunt, ac legitimæ obedientiæ jugum excussuri, libertatem tueri velle se obtenderunt; suspectum ita evasse, ut perduellionis ferè semper metum ingerat legitimis Potestatibus.

2. Auget hujus nominis invidiam, cum à Gallis ad significandas suas immunitates abhibetur, quod aut nunquam, aut ferè nunquam allegatur Ecclesie Gallicanae libertas, nisi adversus summum Pontificem: quasi supremæ Ecclesie Pastor, & Pater amantissimus, Tyranni loco à Christianissima illa gente haberetur. Quamobrem plurimi Ecclesiam Gallicanam à Romana, non ut membrum à capite, aut partem à toto, sed sicut Congregationem à Congregatione, & Rempublicam à Republica, sese hoc nomine discernere velle veriti sunt.

3. Equidem fatendum est Authores quosdam illius Regni maximum odium suis libertatibus conciliasse, dum hoc nomine immanes abusus decorarunt. Sed absit, ut illorum Autorum, aut error, aut temeritas universæ Gallie adscribatur, cum non defuerint etiam in illo Regno tum Antistites, tum privati Doctores, qui hanc à se invidiam depulerint, damnatis publicè illarum libertatum abusibus.

4. Edita sunt Parisiis anno 1639. duo volumina, in quibus præclaro libertatum Ecclesiasticarum titulo donati fuerant usus quamplurimi Ecclesiasticæ libertati infensissimi: sed ecce quomodo excepta sunt ab Episcopis 19. tunc in illa urbe versantibus, & curâ Eminentissimi Cardinalis Richelii

4 DE NATVRA, ORIGINE, AC PROGRESSV,
congregatis : ecce quod de illis voluminibus iudicium tulerunt in epistola, quam ea de re ad cæteros scripserunt Gallix Antistites, quæque in secundo volumine Actorum Cleri Gallicani ultimæ editionis refertur. In hac Alma Regni sede, inquit, paucis ab hinc diebus, nullo palam Autore, nullâ publicâ edendi facultate typis mandata sunt duo volumina vulgari idiomate, quorum uni titulus est : TRAITTE' DES DROITS ET LIBERTEZ DE L'EGLISE GALLICANE, 1639. Alteri verò : PREUVES DES LIBERTEZ DE L'EGLISE GALLICANE, 1639. quæ haud dubiè furtivo cursu non ad vestras modo Dioceses, sed ad cæteras etiam Nationes destinantur grassatura. Non enim hæreses, & schismatis, ac talium operum promotor, & artifex Dæmon ejusmodi faces accendit, nisi ut spargat. Quibus potuissent verbis opera illa acriùs perstringere. Prælati illi scientiâ, pietate, ac zelo Pastoralis per totam Galliam celeberrimi, quam ut eâ Dæmoni hæreses, & schismatis autori tribuerent, aut aperiùs declarare, quam esset alienus illorum animus à probandis omnibus illis, quæ sub nomine libertatum Ecclesiæ Gallicanæ venditantur, quam cum subiungunt, inter falsas & hæreticas quas detestamur, ECCLESIAE GALLICANÆ ADSRIPTAS SERVITVTES potius, quàm LIBERTATES, vera quædam, & gloriosissimi Regis nostri jura, & Gallicanæ Ecclesiæ privilegia exposuit.

5. Non Episcoporum tantum fuit is sensus, & affectus, sanctius Regis Christianissimi Consistorium decreto interdixit librorum istorum commercio. Scriptores quoque privati veritatis, & Religionis amantiore, ubi opportunum fuit, suam sententiam deprompserunt circa ejusmodi abusus libertatis nomine obiectos. Nunc servitus, & oppressio (Ecclesiæ Gallicanæ) falsis, ementitissq; libertatis, & privilegiorum nominibus solet per antiphrasim exprimi. His verbis conqueritur adversus Ecclesiasticæ jurisdictionis depressionem Cabassutius, notitia Concil. cap. 69. primæ edit; & cap. 71. alterius.

6. Alia est hujus nominis invidiæ causa, quòd scilicet inter Gallos ipsos non satis constat, quæ sit natura, quæ species, quæ justitia libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, ut in istius tractatus decursu videbitur. Jacobus Leschasserius in Senatu Parisiensi Patronus opusculum scripsit, quod refertur in primo prædictorum voluminum contra exigentes, ut Judices Francia, quæ, & quot sint libertates Ecclesiæ Gallicanæ exponant, enumerentque, nec

NON

non à qua emanaverint auctoritate assignent. Atque omnis ejus oratio eò spectat, ut Gallos probet ad respondendum hujusmodi quæstionibus non teneri. Itaque concludit: Illi ergo, qui petunt, ut singulatim enumerentur hujus Regni libertates, vel Decreta hic recepta, vel usus & consuetudines nostra circa politiam Ecclesiasticam, velut fontes, & auctoritas, à quibus hæc jura emanaverint assignentur, non alia possent ratione inculentius demonstrare omnimodam circa jura illa de quibus loquuntur incertiam, quam in proponendis hujusmodi quæstionibus. Quis audito hoc sermone non suspicetur, libertates, aut nullas, aut incertas, aut injustas esse, quas qui defendere aggreditur, aut non potest, aut non audet recensere, nec à quo fonte, à qua auctoritate profectæ sint, explicare?

7. Ipsam quidem libertatum definitionem tum ipse Leschassierius, tum alii tradiderunt: sed vix ullum reperias, qui inter libertates Ecclesiæ Gallicanæ capita quamplurima non annumeret, illarum definitioni parum consentanea, vel etiam omninò adversa.

8. Quid igitur mirum si libertates istæ malè audiant, quas exteri non intelligunt, Galli non satis explanant, aliqui adhibent ad excusandos pessimos, & cum vera libertate Ecclesiastica pugnantes abusus.

C A P U T I I.

Quid Ecclesiæ Gallicanæ, quidque libertatis Ecclesiasticæ nominibus designetur.

1. **Q**UAMVIS Ecclesia, quæ dictio Græca est, evocationem, seu congregationem tantum significet, ex sua etymologia, tamen ad plurima, eaque valde diversa designanda usurpatur in sacris Scripturis, & Catholicorum Doctorum libris. Præcipua quidem hujus nominis significatio ad Ecclesiam Catholicam pertinet, quam sic describit Bellarminus tom. 2. controv. lib. 3. cap. 2. ut sit *carus hominum ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatorum, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipuè unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis.*

2. Joannes quidem Launoius epist. ad Nicolaum Gati-
næum, quæ est in parte octava, definitionem Ecclesiæ à
Bellarmino traditam impugnare conatur, congestis pro suo
more quamplurimis Sanctorum Patrum, aliorumque Scripto-
rum locis, in quibus describitur Ecclesiæ non factâ mentione
Pastorum, à quibus regitur, præcipuè Romani Pontificis.
Sed Bellarminum reprehendere non potuit, quin sanctum Cy-
prianum damnaret, Ecclesiæ hoc modo definitam epist.
69. quæ est ad Pupianum: *illi sunt Ecclesiæ plebs sacerdoti adunata,
& Pastori suo grex adherens.* Respondet Launoius, Cyprianum *pro tem-
pore, & ad extirpandum schisma, quo tunc Romana flagrabat Ecclesiæ, Ec-
clesiam definivisse, ut diximus.* At non simili de causa Bellarminus,
quia scilicet adversus hæreticos Hierarchiam negantes disputa-
bat, debuit in Ecclesiæ definitione non solum corporis, ut
alii Scriptores à Launoio citati, sed etiam capitis mentionem
facere. Quod enim à Dialecticis præcipitur nihil in definitio-
ne redundare debere, hic non violatur, quia quod additur,
etsi ad essentiæ notitiam absolutè pertinere non videatur, per-
tinet tamen in illa circumstantia. Cùm enim Lutherani, &
Calvinistæ suis cœtibus Ecclesiæ descriptionem à plerisque
Scriptoribus Ecclesiasticis allatam accommodarent, necesse
fuit ad distinguendam verorum Fidelium Congregationem à
synagogis Satanæ, ut aliquid adjungeretur, per quod ab illis
posset discerni. Potuerunt alii Ecclesiæ iis verbis definire,
quæ huic designandæ sufficerent: Bellarmino necesse fuit de-
finitionem ponere, quam ejus adversarii suis conventiculis
tribuere non possent.

3. Frustra verò notat Launoius sanctum Cyprianum *de Ec-
clesiæ simpliciter, & absolutè non loqui, sed comparatè, habito nempe respectu
ad Ecclesiæ Romanam, ubi propter institutos simul Antistites
duos schisma excitatum fuerat: Tùm quia id verum esse non
videtur. Etsi enim occasione Ecclesiæ Romanæ illa dixerit
S. Cyprianus, non tamen de Ecclesiæ Romana speciatim:
Tùm quia si occasione schismatis Ecclesiæ Romanæ rectè san-
ctus Cyprianus in definitione illius Ecclesiæ meminit unius
ejus Pastoris: Cur Bellarmino contra hæreticos, qui ab Ecce-
lesiæ Catholica desciverant, nefas fuit Ecclesiæ Catholicam ità
describere, ut unius ejus supremi Pastoris mentionem faceret.*

4. Sed

4. Sed quemadmodum Ecclesia simpliciter dicitur omnium Fidelium Congregatio sub Summo Pontifice: ita cœtus eorum, qui uni Patriarchæ seu Exarcho, Primati, seu Metropolitanò, imò Episcopo, & Curato subsunt, Ecclesiæ particularis nomine gaudent, scilicet Diœcesis, Provinciæ, aut Parochiæ:

5. Possunt autem in hujusmodi cœtibus, aut simul Pastores cum fidelibus, aut Pastores seorsim ab ovibus, vel econtrà oves sine Pastoribus attendi, ut Ecclesiæ nomen, aut alterutris, aut utrisque simul tribuatür, maximè autem Pastoribus, à quibus representatur, & in quibus certa quadam ratione continetur Ecclesia, sicut in Principe Respublica. Imò vox illa non rarò ad significandum locum transfertur, ubi fiunt hujusmodi cœtus Religionis causa. Quæ omnia eruditis omnibus adeo sunt pervia, ut scripturarum, & Doctorum testimoniis non indigeant confirmari.

6. Variæ illæ vocis ejusdem significationes exigerent, ut de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ tractaturi, quid Ecclesiæ Gallicanæ nomine intelligatur, principio designaremus. Sed cum de illius notione non conveniat inter Gallos ipsos, ex rerum, de quibus agetur, conditione, conjicies. Quamvis enim pro Clero frequentius usurpetur: tamen cum de libertatibus Gallicanis agitur, ea vox non solum Antistites, sed & Laicos complecti, maximè Regem, ejusque Officiales, à nonnullis dicitur; adeò ut Ecclesia Gallicana significet fideles omnes in hoc Regno degentes, cum aliquo tamen ordine ad Religionem, ad quam refertur omnis Ecclesia apud Christianos: qua in re solum cavendum est, ne sub nominis æquivocatione fraus contegatur; quod revera contigisse conquiritur illustrissimus & doctissimus Franciscus Bosquetus Episcopus Montispeffulani in ea ad Stephanum Baluzium epist. quæ ante libros D. de Marca de concord. Sacerd. & Imp. edita est. *Incidit, inquit, in locum ejus scriptoris anonymi, qui ementito Gallicana libertatis propugnanda titulo librum notâ censoriâ jam olim adustum, Regia sanctione proscriptum. ac perpetuis tenebris damnandum in lucem edere ausus est: illo falsam thesism (scilicet Laicorum aequè ac Clericorum cœtum Ecclesiam Gallicanam componere, ejusque communi decreto publica ejus Ecclesiæ negotia decidi, & non Episcoporum judicio, ad quos propositionem de difficilibus negotiis,*

negotiis, qua ad ipsorum vocationem spectant, tantum pertinere) & auctoritate amici nostri fulcire nititur. Quamvis fraudem scriptoris facillime detegerem, & delusam ejus mentem in aquivoco, ut loquuntur Logici, cum libertatis, tum Ecclesiae nomine animadverterem. Alia est enim significatio Ecclesiae, dum Fideles omnes complectitur, ut & libertatis, qua singulos Fonte Baptismatis renatos Christus donavit: alia Ecclesia qua etiam apud antiquos scriptores solus Clericalem ordinem; ut & libertatis, qua jus & facultatem, seu potestatem universam regendi Ecclesiam sacerdotali ordine, in primis Petri Apostolorum Corinthei successoribus, Divina constitutione tradita, comprehendit.

7. Nec est quod aliquis circa hoc nomen quaestionem moveat, quod caeteris quidem caeteribus praesse unum aliquem Pastorem cernat, puta Ecclesiae universae Summum Pontificem, Diocesi Patriarcham, aut Exarchum, Provinciae Metropolitanam, Parochiae Episcopum; Gallis autem omnibus ut à caeteris Regnis discernuntur, unus quispiam non sit praepositus. Rex namque, cujus imperio subjacent, eos in unum quidem corpus politicum conjungit, sed non in unam Ecclesiam, cum in Laicorum ordine censeatur. Observandum enim est Romanum Pontificem tanquam summum Pastorem totius Ecclesiae caput existere, totius autem Occidentis tanquam ejus Patriarcham; Galliae vero Caput specialius posse nuncupari propter antiquiorem, & strictiorem illius Regni eum Ecclesia Romana conjunctionem. Nec enim, ut Ecclesia Gallicana una sit, opus est, ut intra se unicum Caput habeat, sed satis est, ut ejus membra non unius regiminis politici tantum, sed unius quoque Religionis vinculo arctiori conjuncta, totius Ecclesiae Capiti etiam intimè cohæreat, illud praecipuis observantiae, atque obedientiae officii excolat, ejusque vicissim amoris, ac sollicitudinis specialis beneficio potiatur.

8. Libertatis porro nomen ex primaria sua institutione conditionem designabat, qua homo id sine impedimento praestare posset, quod liberet; Libertatis enim proprium est, ut inquit Cicero offic. cap. 1. sic vivere ut velis; quod tamen, ne de perversa quoque voluntate accipiatur, in paradoxis explicat in hunc modum; quid est enim libertas? Potestas vivendi ut velis. Quis igitur vivit ut vult, nisi profecto qui recta sequitur, qui gaudet officio, cui vivendi via considerata, atque provisiva est? qui legibus quidem non propter metum

paret,

paret, sed eas sequitur, atque colit, quia id salutare maximè iudicat esse, &c. Paradoxo 5. Verum hoc nomen ad alia quamplurima significanda postmodum derivatum est: verbi gratia liberationem à peccato, à iugo legis Mosaicæ, à quibusvis demùm malis, vel oneribus.

9. Dum autem de Ecclesia dicitur, aliquem indicat ad Religionem ordinem, idque multipliciter. Cum enim libertas servituti, seu necessitati opponatur, Ecclesia libera rectè tunc dicitur, cum ab exercitandis, prout placet, Religionis officiis minimè prohibetur. Ità, dum Constantinus Imperator concessit toto orbe terrarum Christianis, ut Ecclesias ædificarent, Divina mysteria publicè celebrarent, aliaque omnia sine impedimento præstarent, ad debitum vero Numini cultum exhibendum necessaria, libertatem Ecclesiæ dedisse dicitur.

10. Intelligitur etiam sæpè numero libertas Ecclesiastica de immunitate rerum, locorum, & personarum Deo peculiariter consecratarum; quando scilicet Ecclesia pro suo arbitrio Ministros sibi deligit, eosque cultui Divino, & convenientibus cuique ministeriis deputat; cum illi à sæcularibus muniis, oneribus, negotiis, iudiciisque exempti, quæ Dei sunt solummodò curant. Cum ædibus Deo sacris is honor deferretur, ut sæcularia negotia illis non tractentur, ut ab omni scelere illis perpetrando diligentius abstineatur, ut nullus illinc invitus, aut invito Pastore extrahatur: cum Fidelibus omninò licet bona sua Deo consecrare: cum bona sic Deo consecrata subsidiorum, aliorumve onerum servitute non premuntur, ne dum à rapinis, aliisque injuriis tuta sunt.

11. Ad ea, & similia significanda plerumque usurpatur à sacris Conciliis, & Scriptoribus Ecclesiasticis libertatis, seu immunitatis Ecclesiasticæ nomen. Sanctus Antoninus 3. part. tit. 12. cap. 3. Immunitas, inquit, Ecclesia est privilegium Ecclesiastica libertatis, vel rerum, vel personarum ad eam pertinentium. Et §. 4. ex Francisco de Zabarel. Immunitas est libertas, seu exemptio Ecclesia in personis, rebus. & iuribus Ecclesiasticis quibuscumque. Et infra. . . . Tertium privilegium datum à Deo Ecclesia est, ut administret sola sine Laicis res suas, ut dist. 96. si Imperator. Et de rebus Eccles. non alien. cap. fin. Et hinc Ecclesia sola, & non Imperator jus concedere potest, & aliter disponere

B

dist.

10 DE NATURA, ORIGINE, AC PROGRESSU,
dist. 96. cap. denique cum ad verum. Concilium item Colon. anno
1536. p. 9. cap. 20. Immunitas Ecclesiastica vetustissima res est, jure pa-
riter Divino, ac humano introducta, quæ in duobus potissimum sita est. Pri-
mum ut Clerici, illorumque possessiones, & bona à vestigalibus, & tributis,
aliisque numeribus Laicis libera sint. . . . Secundum ne rei criminis ad Ecclesias
confugientes inde violenter extrahantur, exceptis publicis Latronibus, qui per
industriam proximum occiderint, aut nocturnis depraedatoribus agrorum, qui iti-
nera obsident, denique his, qui sub immunitatis spe in Ecclesiis, ac cœmeteriis
delinquant.

12. Frequentius apud Gallos libertatis significatio ea esse
dicitur, quæ juxta Concilium Ephesinum can. ult. in obser-
vandis Canonibus, & conservanda cuique Ecclesiæ sua ju-
risdictione consistit, ut ex capite sequenti constabit.

C A P U T III.

Quomodo definiantur libertates Ecclesiæ Gallicanæ.

1. **D**iversæ à diversis traduntur definitiones libertatum
Ecclesiæ Gallicanæ. Omnium tamen communissima
est, quæ illas in observando ad amissum, inviolabiliterque
jure antiquo reponit. Hanc itaque diligentius expendemus,
si prius autoritate munierimus.

2. Renatus Choppinus de sacra Polit. lib. 1. tit. 1. num.
13. eam his verbis exprimit: Cum adversus hos Canones (antiquos)
Pontificis Rescriptis abuteretur sensim inferior ætas, Galli Monarchæ, Pra-
toresque, Regi ceperunt eum ab usum, Canonicaque Doctrina neglectum civili im-
perio vindicare: ne cui in Ecclesiasticam disciplinam Ecclesiæ Primati fas esset
moliri quidpiam intra Franciæ Ditionis pœnæria, aut alioquin districtè revoca-
retur mos Hierarchiæ vetustioris. Ac illius quidem auctoritatis, libertatisque
Franciæ vestigia cernimus identidem, &c. Libro autem 2. tit. 4. n.
1. docet Regium Senatum provocari, cum ab Ecclesiastico Judice
tentatum sit aliquid in pœnæriam sanctorum Decretorum prisca, venerandaque
vetustatis.

3. Petrus Pithœus in Libello Gallico idiomate scripto,
cum hoc titulo; *Les Libertez de l'Eglise Gallicane*, quem Petrus
Puteanus aliis omnibus ejusdem argumenti præmisit, in sua
Col-

Collezione, duo statuit principia, seu axiomata illarum libertatum, quorum primum Romano Pontifici adimit omnem in temporalia Regni Franciæ potestatem, alterum est humani, Et si Papa in rebus spiritualibus supremus agnoscatur, tamen in Francia potestas absoluta, & infinita locum non habet; sed cohibetur, & limitatur Canonibus, & Regulis antiquorum Conciliorum Ecclesiæ in hoc Regno receptorum. Et in hoc maxime consistit libertas Ecclesiæ Gallicanæ.

4. Guido Coquille Institutionibus ad Jus Gall. tit. de Jure Regio, asserit eas libertates in eo consistere, quod Ecclesiæ Gallicanæ Canonibus valde antiquis inhærens non admittit, receptivè quamplurimas Constitutiones Pontificias.

5. Jacobus Leschassierius in opusc. de libert. antiqua, & Canonic. Eccles. Gallic. pluribus idem statuit. Pauca de multis in capite sequenti referemus.

6. Luculentius eam Gallorum sententiam declarat Christophorus Justellus in epist. ad eundem Jacobum Leschassierium, Codici Canonum Ecclesiæ universæ ab ipso edito, præfixa; *Quamvis in jure communi antiquo, inquit, positam esse libertatem Ecclesiæ Gallicanæ ab omni ævo Reges, Episcopi, Regni Ordines, tota denique Gallia affirmaverit; Vetus est tamen in Senatu PARISIENSI SENTENTIA A MAJORIBUS PER MANUS TRADITA, ET MEMORIÆ OMNIUM, QUI PRUDENTIA, ET VSV VALENT, insculpta, illam libertatem maxime quatuor primis CONCILIIIS OECUMENICIS, ET IIS, QUÆ AB ILLIS CONFIRMATA SVNT, CONTINERI; Et quæ contra sunt, præcipuas appellationibus iis causas præbere, quæ velut ab abusa interponuntur. Hanc ipsam mentem tribuit Justellus Cardinali Lotharingiæ; prosequitur enim: Quæ sententia convenit protestationi ab Illustrissimo Cardinali Lotharingiæ in Concilio Tridentino factæ, omnium Gallie Episcoporum nomine, die 2. Novembris 1563. nempe optare se, in eoque maxime elaborandum esse, ut vetus disciplina Ecclesiæ restitueretur. In usum, inquit, veteribus jamdiu aboletis revocatis Canonibus, ET MAXIME QUATVOR VETERVM CONCILIORVM, QUÆ QVANTVM FIERI POTERIT OBSERVANDA ESSE CENSEO. Et post pauca. Hanc autem meam mentem, & sententiam cum meo, cum omnium Gallie Episcoporum nomine in acta referri volo, & ut id fiat, à Notariis peto, & postulo.*

7. Illustrissimus Petrus de Marca lib. 3. de concord. cap. 1.

12 DE NATVRA, ORIGINE, AC PROGRESSV,
num. 7. Pater, inquit, vera, & gemina definitio hujus libertatis ex sensu Ecclesie Gallicanae, ut sit nempe usus antiqui juris communis.

8. Carolus Feyret tract. de abus. lib. 1. cap. 4. num. 13. variis eandem opinionem probationibus adstruit.

9. Eam etiam Joannes Doujatius Antecessor Parisiensis variis in locis, maximè in fine synopsis historicae Juris Pontificii amplectitur. Apud nos (hæc sunt ejus verba) Jus Canonicum speciale triplex distingui potest: Constat enim veteribus Ecclesie institutis, quibus majores nostri tenacius, quam vicini populi adhaerunt, QVÆ VVLGO IMMVNITATES, SEV LIBERTATES ECCLESIE GALLICANÆ DICVNTVR, &c.

10. Joannes Gerbafius tract. de causis major. art. 2. sic sentit; habet in primis Ecclesia Gallicana suos mores, suasque traditiones, eò quidem retinendas magis quod fortuite ac temeraria non sint, SED CANONIBVS IPSIS ANTIQVIS, VETERVMQVE PATRVN SENTENTIIS INNIXÆ AC FVNDATÆ. ETENIM LIBERTATES SVAS, QVÆ AB ISTIVSMODI TRADITIONIBVS NIHIL DISTANT; NON ALIA RATIONE TVETVR GALLIA, QVAM ANTIQVO, ET COMMVNI IVRE.

11. Illustrissimus Carolus Mauritius le Tellier Archiepiscopus Rhemenfis in eo instrumento jam pridem in lucem publicam, edito, quo sese Ecclesie Cameracensis, olim Rhemenfis Provinciae, ad Metropolitanam Dignitatem evedctioni opponere protestatus est, die 4. Februarii anno 1678. „ declarat Franciam auctoritatem semper æqualiter potentem, & venerandam quatuor primorum Conciliorum habere tanquam „ unicum, & inconcussum suarum libertatum fundamentum.

12. Idem etiam sæpissimè protestati sunt Regii Officiales tum in scriptis, tum vivâ voce in Senatu perorantes, ut testantur varia Senatus consulta typis edita, & vulgata.

13. Denique Conventus Parisiensis libertatum Ecclesie Gallicanae fundamenta SACRIS CANONIBVS, ET PATRVN TRADITIONE NITI jam in ipso limine declarat, ut tanquam certum supponere liceat, Ecclesiam Gallicanam suas libertates in antiqui juris observatione constituere.

14. Quamobrem de libertatibus Ecclesie Gallicanae disputaturi hanc illarum definitionem, utpotè cum à Clero tum à Magistratibus sæcularibus, & à cujusvis conditionis scriptoribus

bus comprobata[m] tanquam fundamentum ponimus. Non negligemus tamen alias, sed opportunis locis, pro cuiusque merito expendemus.

C A P U T I V.

Definitionem libertatum Ecclesie Gallicanæ communiter traditam non esse legitimam.

1. **D**efinitio libertatum Ecclesie Gallicanæ, quam communiter tradi pluribus testimoniis superiori capite ostendimus, nempe quod sint antiquorum Canonum custodia, si ad leges Dialecticæ exigatur, contra omnes, aut saltem præcipuas definitionis regulas, nimirum perspicuitatem, integritatem, ac convenientiam cum re definita, peccare comperietur.

2. Obscura est, quia, cum antiqua disciplina latissime pateat, incertum est, an eam integram complectatur? an illius tantum partem? & quam & quousque perveniat antiquitas ex mente Gallorum? Canones etiam alii à Conciliis generalibus, alii à Provincialibus, alii à Nationalibus editi sunt. Antiqua disciplina non solos Canones, sed etiam summorum Pontificum Decreta complectitur. Porro Illustrissimus Archiepiscopus Rhemensis declarat, ut vidimus, Franciam autoritatem semper æqualiter potentem, & venerandam quatuor primorum Conciliorum habere tanquam unicam, & inconcussam suarum libertatum fundamentum. Christophorus Justellus quatuor primis Conciliis œcumenicis adjungit alia, quæ ab illis confirmata sunt. Quod etiam fortassis intelligit Dominus le Tellier. Verum Dominus de Marca usum juris communis antiqui sine exceptione veram, & geminam hujus libertatis definitionem dicit; idque EX SENSU ECCLESIAE GALLICANÆ, huic consentit Joannes Doujatius, cum ait, VETERA ECCLESIAE INSTITUTA, VULGO IMMUNITATES, SEV LIBERTATES ECCLESIAE GALLICANÆ DICIT. Alii expressè summorum Pontificum Epistolas Decretales meminerunt. Alii denique antiquis Canonum Codicibus specialem tribuunt autoritatem.

3. Quæ in re tamen eorum aliqui non solum inter se dissentire, sed etiam sibi ipsis non satis videntur constare. Nam verbi gratia Doujatius, qui loco jam jam citato vetera instituta vocat libertates Ecclesiæ Gallicanæ, tamen loco infra cap. 12. num. 6. citando, jus antiquum obsoletum dicit. Dominus etiam de Marca, cum in loco jam adducto veteris tantum juris meminerit, in locis infra cap. 13. referendis totum ferè jus novum ad libertates Gallicanas asserit pertinere.

4. Caret tradita definitio parte una, eaque præcipua, scilicet differentia. Licet enim concedamus nonnullos, si velis etiam plurimos antiquos Canones observari in Gallia, eos tamen ipsos, aut plures servant etiam reliquæ Catholici orbis Provinciæ; nec facile paterentur reliquæ Catholicæ nationes hanc sibi laudem à Gallicana præripi.

5. Definitio illa non convenit suo definito. Si quis enim hinc singula libertatum illarum capita, quæ in tractatibus ea de re scriptis proponuntur, attentè consideret, illinc universos Conciliorum antiquorum Canones, ac summorum Pontificum Decreta perlustret, parum inter se convenire concludet.

6. Jure tantum antiquo definitæ sunt libertates; cum tamen, circa novum magis versari videantur, sed ut prædicta manifestius pateant, singula fusiùs sunt prosequenda.

C A P U T V.

Quod Ecclesiæ Gallicanæ libertates non contineantur in solo Codice Canonum Ecclesiæ universalis.

1. **J**acobus Leschassierius in opusc. de antiqua & Canonica Ecclesiæ Gallicanæ libertate jam citato, Ecclesiam Gallicanam perhibet, Ecclesiæ universæ Decreta ex tribus Codicibus successivè deprompsisse. Primum illorum Codicum vocat Codicem Ecclesiæ universalis; secundum Codicem Canonicum Ecclesiæ Romanæ; Decretum Gratiani tertio loco reponit. Primum illum & antiquissimum Codicem completi

plecti affirmat Canones, in quibus ipsa, quasi essentia libertatis Gallicanæ continetur, ad quem cætera omnia referenda sint. ,, Duplex est, inquit, libertas Ecclesiæ Gallicanæ, ,, antiqua scilicet, & moderna; aut potius una, & eadem ,, libertas diversimodè spectata. Antiqua est primus illorum ,, trium Codicum Canonicorum dignus certè, qui ab Eccle- ,, sia universa in maximo pretio, & maxima reverentia ha- ,, beatur; quippè qui sit primus ejus liber, & commune in- ,, strumentum post sacræ Scripturæ Codicem; moderna est ,, in Constitutionibus Regum nostrorum, in illorum Con- ,, cordatis, & in supremorum Tribunalium Senatusconsultis. Porro ista secunda libertas à necessitate profecta est ,, quasi in subsidium primæ Nova ista jura ita vera li- ,, bertas non sunt, ut & illa ipsa, & constitutio S. Ludovici ad antiquam, & Canonicam, seu ad naturalem, & ,, absolutam libertatem ordinentur.

2. Codicem antiquum Ecclesiæ universæ illum sine dubio intelligit, cujus formam Christophoro Justello præscripsit, aut expressit in consultatione de controversia inter Paulum V. Pontificem, & Rempubliam Venetam anno 1607. ut accepto refert ipse Justellus in epistola ad eundem Lechassæzium scripta anno 1610. Cum, inquit, accuratius modum quererem, quo ille vetus Ecclesiæ primitiva Codex restitui, & in lucem revocari posset, tu mihi, veluti Theseus alter, in explicando hoc labyrintho viam aperuisti, hujusque restitutionis rationem, antea incompetam indicasti, quam & ipsam tuis verbis descriptam huic operi adjunxi. Illud ergo vetustissimum Ecclesiæ Christianæ monumentum nunc primum à nobis pristina integritati restitutum, & ab interitu vindicatum ne diutius desperet publico dari curavi.

3. Pluribus iisque efficacissimis rationibus comprobari posset, Codicem illum non cum esse, ex quo solo olim Ecclesiæ disciplinæ leges hauriebatur, & Guilielmus Voëlius, & Henricus Justellus Christophori filius in præfata ad Bibliothecam Juris Canonici veteris, in cujus fronte posuerunt Codicem illum, suadere conati sunt. Non enim, inquit, necesse est, ut illa collectio Codicum universæ Ecclesiæ titulo gaudeat, quod omnes Conciliorum Canones à singulis Ecclesiis receptos, & editos complectatur; sed sufficere videtur, quod primis Ecclesiæ temporibus, quibus editus fuit hic Codex, illo solo, nec alio uteretur Ecclesiæ universalis in dis-

ceptan-

16 DE NATVRA, ORIGINE, AC PROGRESSV,
ceptandis de disciplina controversis, quemadmodum à Concilio Calcedonensi factum legimus.

4. Sanè si Codex ille in universa Ecclesia vim habuisset, quomodo periisset illius memoria, edito post Synodum Trullanam à Græcis Ecclesiæ Orientalis Codice, quod subjungunt prædicti Justellus & Voëllius, siquidem Canones illos rejecerunt Romani Pontifices, præsertim Sergius, qui tunc Ecclesiæ Romanæ Clavum regebat, ut testantur Anastasius in Sergio, & Beda lib. de sex ætatibus.

5. Præterea quomodo fuisset Codex Canonum universæ Ecclesiæ, qui certè Codex Ecclesiæ Romanæ esse non potuit, atque adeò neque totius Ecclesiæ Occidentalis, Romanæ strictissimè coherentis? Nunquid præcipua illa Orbis Christiani pars ad universam Ecclesiam non pertinebat? Quomodo autem Ecclesiæ Romanæ Codex fuisset, in quo desiderabantur, nec postmodum adjecti sunt, Canones in Occidente vigentes, v. g. Canones Conciliorum Arelatensis, Sardicenis, Carthaginensium, & Toletani primi, in quo è contra continentur Canones dudum ab Ecclesia Romana vel improbat, vel pro minimo habiti v. g. Constantinopolitani.

6. Certè Paschasius Quesnel in appendice ad S. Leonis magni opera differt. 12. se antiquissimum Ecclesiæ Romanæ Codicem edere affirmat antea nunquam editum; hic enim titulus est dissertationis: *De Codice Canonum Ecclesiæ Romanæ omnium, qui huc usque prodierunt antiquissimo nunc primum in lucem edito; capiti autem primo iste titulus præfixus est; Romanam Ecclesiam suam olim Codicem habuisse ante Dionysii Exigui Abbatis collectionem, nec eum huc usque emeruisse è tenebris; Capiti autem 2. Priscum illum Codicem eum ipsum esse, quem jam publici juris facimus.* Itaque si Quesnelio credimus, non erat Codex Ecclesiæ universæ, quem antea ediderat Justellus, quique in multis differt à Quesneliano, & à vero Codice Ecclesiæ Romanæ.

7. Habebat Ecclesia Romana suos Canones, eosque in seriem redactos, etiam ante tempora, quibus primum compactus perhibetur Codex ille Ecclesiæ universalis, ut ex iisdem argumentis conjicitur, quibus Codici à Justello restituto auctoritatem conciliare nituntur ejus Patroni, cui quidem Canonum Ecclesiæ Romanæ serici, potiori

ri

ti jure tribueretur nomen Codicis Ecclesiae uniuersae.
 8. Verum nihil opus est in minuenda Codicis Justelli auctoritate immorari; satis enim est, quod ab ipsis ejus Patronis conceditur, ejus memoriam a tempore Concilii Trullani, hoc est a fine septimi, vel ab octavi saeculi principio, ad nostrum usque saeculum excidisse; Hinc enim evincitur, non cum esse libertatum Gallicanarum thesaurum, qui per tot saecula, & per ea maxime, quibus hujusmodi libertates validius propugnatae sunt, sub oblivionis tenebris reconditus delituerit. Nunquam enim ferventiores extiterunt hac de re disceptationes, quam tempore Caroli sexti Regis Francorum, quo tamen tempore, ut testatur Dominus Petrus de Marca lib. 3. cap. 6. num. 5. *Antiquos Canones, & jus commune intelligebant (Galli) quod Gratiani Decreto, & Decretalibus erat comprehensum, idque, inquit, manifeste probatur, non solum ex eo, quod vetus Codex Canonum illis esset incognitus, sed etiam ex Concilio Constantiensi.*

C A P U T V I.

De Codice Dionysii Exigui.

1. **A**ngustis nimium finibus conclusae fuerant Ecclesiae Gallicanae libertates a Jacobo Leschafferio ad antiquissimum Canonum Ecclesiae uniuersae Codicem redactae. Quamobrem non solum ante excitatum hujusmodi Codicem, sed etiam ex quo editus est, aut revocatus in lucem, Dionysii Exigui collectionem seu praecipuum illarum libertatum promptuarium multi posuerunt; quod & illos Canones, quos exhibet Codex Justelli, contineat (exceptis tribus ultimis Constantinopolitanis, & octo Ephesinis) & 50. Apostolicos, unum supra viginti Sardicenses, centum triginta octo Cartaginenses, seu Africanos insuper complectatur, Canonibusque adjunctae sint Decretales octo summorum Pontificum, a Siricio scilicet usque ad Anastasium II. Sic sentit Carolus Fevrettus lib. 1. de Abusu cap. 4. num. 20. „Hi duo libri Canonum, inquit, Codex scilicet Canonicus „Dionysii, & Codex Ecclesiae Gallicanae proprius tanta cum

„religione observati sunt, ut nec Clerus, nec tres Regni
 „Ordines unquam ab eis deflexerint, alia omnia decreta, &
 „alias omnes constitutiones præter ibi insertas repudiantes,
 „& subjectioni, ac gravi, & perniciosæ servituti tribuen-
 „tes quidquid huic juri communi, & Canonico adversaretur.

2. Verumtamen Christophorus Justellus collectione illa, seu versione à Dionysio facta putat Gallos non fuisse usos usque ad annum 805. Gallicana etiam Ecclesia, inquit in præfatione ad suum Codicem, veteri jure Canonico usa est quatuor videlicet priorum Conciliorum œcumenicorum, & cæteris ab iis confirmatis, & ab universa Ecclesia receptis, non tamen ex Dionysiana interpretatione, SED EX ALTERA VETUSTIORE, illa scilicet, qua habetur in collectione, qua Isidori Mercatoris nomen præfert in editione Conciliorum Colonienſi. Præmiserat autem, (loquens de collectione Dionysiana, cui ab alio Collectore addita fuerant Decreta Hilarii, Felicis, Simplicii, Hormisdæ, Symmachi, & Gregorii Junioris.) Atque ipse est Codex Canonum, qui ab Adriano I. Papa, Carolo Magno Regi oblatuſ est anno 805. ad usum Ecclesiarum Occidentalium. Quæ omnia postmodum sic adstruit; sed & Synodi quædam Gallicanæ, ut Valentina, Regensis, Arelatenſis II. Agathensis, & Epaonensis citant Canones Nicanos, Ancyranos, & Laodicenses ex veteri translatione apud Gallos tunc recepta, qua apud Isidorum Mercatorem reperitur, qua semper liberius usi sunt: quod in Conciliis Gallicanis sub Ludovico Pio Imperatore, cæterisque subsequentibus observare licet.

3. Justello ferè assentitur P. Jacobus Sirmondus in præfatione ad suam collectionem Conciliorum Galliæ. Certum est, inquit illos (Gallos) præteritam illam (translationem) libentius semper usurpasse, ejusque usum ad eadem usque Caroli Magni tempora frequentasse: idque declarat inter cætera Capitulare Aquisgranensæ Caroli ejusdem, quod totum Græcis antiquæ versionis auctoritatibus refertum est: præterquam in Canonibus Apostolicis, qui necessarîo ex Dionysiana recitantur, quia alia tunc illorum versio nulla erat. Post hæc verò sensim ab ea deflexere, Codicemque Canonum Dionysiana collectionis per Hadrianum Papam Carolo Regi commendatum amplexi, & pro veteri illa Librorum Synodaliû forma, quam diximus, ad novam conversi Dionysii Exemplaribus Bibliothecas suas instruxerunt, ac Dionysii proinde versione, Decretalibusque ad Dionysii formam digestis perpetuo deinceps usi sunt.

4. Paschasius Quesnelius dissertatione 16. in opera S. Leonis Magni validius contendit Codicem Canonum Dionysii

Exigui ante Adriani Papæ I. & Caroli Magni Imperatoris tempora non fuisse receptum.

5. Illustrissimus verò Petrus de Marca lib. 3. de Concord. Sacerdot. & Imper. cap. 4. num. 2. notat Gallos aliquando antiquiorem, sapius Dionysianam interpretationem secutos, etiam antè Caroli Magni tempora. *Usum autem, inquit, collectionis Dionysiano statim atque edita fuit, priore interpretatione spreta per Gallias invaluisse mihi facile persuadeo, tum QVIA APVD SEDEM APOSTOLICAM VIGEBAT; tum etiam quod nitore suo commendabatur præ squallore veteris interpretationis; etsi hanc omnino Galli non deseruerint.*

6. Fuisse illam collectionem citiùs ab Ecclesia Romana susceptam, & accuratiùs retentam testatur celeberrimus Cassiodorus Dionysio cœtaneus lib. de Divin. lect. cap. 23. his verbis: *Ex Græcis exemplaribus Canones Ecclesiasticos moribus suis (Dionysius) ut erat planus, atque disertus, magna eloquentia luce composuit, quos hodie usu celeberrimo Ecclesia Romana complectitur. Non minoribus eam laudibus effert Eminentissimus Cardinalis Baronius ad annum 325. Si fidelitas, inquit, atque peritia in transferendo, & si veritas in edendo quàm maxima requiratur, nulla exquiri potest editio exactior, atque fidelior, quàm qua elaborata est à magno illo, sed cognomento Exiguo Dionysio: cujus eximiam in utraque lingua peritiam, & morum egregiam probitatem Cassiodorus dignis laudibus mirificè prædicat.*

7. Si ergo collectio Dionysiana ante tempora Caroli Magni non fuit in usu apud Gallos, vel saltem usus ille non fuit perpetuus, & constans, non potuit etiam esse libertatum Gallicanarum fundamentum. Ac licet invaluerit ejus autoritas post tempora Caroli Magni, non tamen unicum istud, & indubitatum antiquæ disciplinæ promptuarium fuisse certissimis argumentis comprobatur.

C A P U T V I I.

De Canonibus Apostolorum.

1. **I**N primis nascitur dubium circa collectionem Dionysianam, de Canonibus scilicet Apostolorum, de quibus sic Dionysius ipse monet in sua præfatione: *In principio itaque*

Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco translulimus; quibus quia plurimum non consensum præbuere facilem, hoc ipsum vestram nolimus ignorare sanctitatem, quamvis postea quædam Constituta Pontificum ex ipsis Canonibus adsumpta esse videantur. Quo monito illorum Canonum autoritas non parum imminuitur: Unde non mirum si Autores Galli circa illorum vim dissentiant.

2. Illustrissimus Petrus de Marca lib. 3. cap. 2. num. 4. non solum quinquaginta illos, quos Dionysius in sua collectione primos collocavit, sed & omnes alios ad numerum 85. admittit. Ex iis autem, quæ diximus (hæc sunt ejus verba) non solum colligitur vetustas, & autoritas Canonum Apostolorum; sed etiam eorum numerus. Et enim 85. Canones recensent Græci in collectionibus suis juxta definitionem Synodi in Trullo, quæ in capite illis rectè convenit cum libro Constitutionum Apostolicarum, ubi Canones illi eadem serie, eodemque numero referuntur. Laudatum etiam vidimus Canonem 74. à Synodo Constantinopolitana sub Nectario, & 62. à Synodo Nicæna, & 76. à Concilio Antiocheno: Quin etiam Theodoretus in collectione sua eundem numerum 85. Canonum Apostolicorum servavit.

3. Aliis fortasse viderentur omnes omnino repudiandi, quod Gelasius Primus eos in Concilio Romano anno 494. inter opuscula apocrypha, nullo excepto, rejecerit. De qua tamen censura dubitant alii. Deerat illa certè in Codice Hincmari, ut ex his ejus verbis opusculo 55. cap. 24. evidenter colligitur: *Beatus Gelasius in Catalogo, qui libri ab Ecclesia Catholica recipiantur, descripto, &c. de his Apostolorum Canonibus penitus tacuit, sed nec inter apocrypha eos misit. Erat ignota Dionysio Exiguo, qui in collectione sua non multo post Gelasium tempore, hoc est circa annum 527. Canones illos omnino prætermisisset, si eis in Concilio Romano hæc nota iniusta fuisset; ab eis quoque citandis abstinuissent posteriores Pontifices, de quibus numero sequenti; nisi fortè, & Dionysius, & Pontifices censuram illam benignius interpretati putaverint, Gelasium eos non improbasse: Sed incertum, & ab Apostolis diversum esse illorum Autorem monere voluisse, ideoque Dionysium dixisse tantum, illis plurimos non consensum præbuisse facilem.*

4. Mediam viam sequuntur alii, quibus quinquaginta primi tantum placent, quod eos pluribus Pontificibus probatos videant: Joanni II. qui anno 534. ut justam ostenderet Contumeliosi Episcopi Regiensis depositionem, Canones Apostolicos

licos 25. & 29. protulit: Zachariæ epistola ad Pipynum majorem domus, Episcopos, & Procères Francorum anno 747. Leoni IX. anno 1054. seu ejus Legato Humberto Sylvæ Candidæ Episcopo in confutatione epistolæ Nicæni Abbatis, ex qua sumptus est Canon Clementis librum dist. 16.

5. Sanè si constitisset, Apostolos, quorum nomine decorantur, veros fuisse illorum Conditores, & Collectorem S. Clementem, quod titulus, & conclusio supponunt, eandem obtinerent, quàm sacræ Scripturæ Canonici libri auctoritatem, aut saltem illis ferè æqualem, nec eos Gelasius apocryphos declarasset. Galli etiam ad eos recipiendos, & in Codicem Canonum referendos proniores sese præstitissent: cum tamen ex Gregorio Turonensi lib. 5. histor. Francorum cap. 19. non obscure colligatur in eo Regno sub finem sexti sæculi vix fuisse cognitos. Refert enim à Chilperico Rege cum Prætextati Episcopi Rothomagensis condemnationem urgeret anno 577. in novo, & distincto quaternione Prælati fuisse oblatos; ipse verò (Chilpericus) ad Metatum discessit, transmittens librum Canonum, in quo erat quaternio novus annexus habens Canones quasi Apostolicos.

6. Quid quod eorum aliqui cum communi Ecclesiæ usu, & sensu non conveniunt? Nam Canon 65. pœnam depositionis, aut excommunicationis statuit in eum, qui sabbatho jejunaverit. Ultimus scripturis Canonicis veteris Testamenti, tertium quemdam Machabæorum librum annumerat; detrahit verò libros Judith, Tobix, Sapientiæ, & Ecclesiastici: A novo autem Testamento refecat Apocalypsim, & in quibusdam exemplaribus epistolam S. Judæ. Qui potuissent autem aut Apostoli, qui essent veræ scripturæ sacræ libri, ignorare; aut Concilia, præsertim Tridentinum, Apostolis contradicere, Canonicorum librorum Catalogum diversum texendo?

7. Quod quidem ad Apocalypsim attinet, non erat impossibile, quin illis Canonibus esset posterior, utpotè à S. Joanne jam sene conscripta. Sed præterquam quod hæc ratio quoad alios libros valere non potest; S. Clemens scriptæ à B. Joanne Apocalypsi pluribus annis superstes fuit, quo tempore verosimilius est illum Constitutiones Apostolicas,

22 DE NATVRA, ORIGINE, AC PROGRESSV,
& Canones istos, qui ultimum illarum caput constituunt,
collecturum fuisse, nec Apocalypsim omitturum, cum sua-
rum ipsius epistoliarum, & constitutionum meminisse per-
hibeatur.

8. Quanquam autem Canones isti Apostolicâ non gaudeant
autoritate, antiquitate tamen sua commendantur, plurimas-
que tradunt morum, & disciplinæ regulas Apostolicis tem-
poribus non indignas, à Gallia ipsa, & ab Ecclesia universa
receptas. Nec igitur admitti omnes, neque refutari omnes
posse videntur, sed eorum habendus delectus, ut scilicet
illi solummodò ceu regulæ proponantur, & accipiantur,
qui fuerint ab Ecclesia confirmati.

9. Ità suadet Hincmarus opusc. 55. capitum, 24. cap.
*Quapropter in lectiōe illorum sequenda est cautela ab eodem S. Gelasio præmoni-
ta; Cum hæc, inquit, ad Catholicorum manum advenerint, B. Pauli Aposto-
li præcedat sententia, quæ dicit; OMNIA PROBATE, QVOD BO-
NVVM EST TENETE: quod tamen de istis Canonibus non est
à Gelasio dictum.*

10. Verumtamen cum tamdiu nutaverit Canonum Aposto-
licorum autoritas, totaque illorum vis ab aliis Ecclesiæ
decretis, vel ab usu profecta sit, necdum etiam aliqui re-
cepti sint, constat libertates Ecclesiæ Gallicanæ illis tutò
inniti non potuisse, nec etiamnum posse.

C A P U T V I I I.

*De Canonibus, & Decretis à Dionysio Exiguo
prætermiſſis.*

1. **N**on eo pervenit Dionysii diligentia, ut Concilia om-
nia, aut omnium Pontificum Decreta repererit. Quam-
obrem licet maximæ autoritatis sint, quæ profert, non ta-
men omni destituta sunt robore, quæ ipse prætermisit, si
aliorum fide dignorum testimonio nitantur: nec enim ut su-
pra insinuavimus, Dionysii opus unicum est Ecclesiasticæ
disciplinæ Promptuarium, in quo afferrentur universæ leges
Ecclesiasticæ; nec quando ab Ecclesia Romana, vel Galli-
cana

cana tanto cum applausu exceptum fuit, in illud omnis delata est vis Canonica; sed cum non nisi obscura, & ferè barbara haberetur interpretatio Græcorum Canonum, non potuit dilucida, & exacta Dionysii translatio, statim ut oblata est, non arridere.

2. Nec ita collectio Dionysiana specialiter ab Ecclesia confirmata fuit, ut Canones aliquam ex eo solo quod inibi reperiantur, vim sibi vindicent, quemadmodum Codex Legum civilium à Justiniano accepit auctoritatem, nam S. Gregorius Magnus plus quàm 60. annis post editam illam collectionem scripsit, Canones Concilii Constantinopolitani ab Ecclesia Romana non fuisse receptos, quos tamen collegerat, & Latinos fecerat Dionysius. *Romana Ecclesia*, inquit sanctus ille Pontifex lib. 6. epist. 31. *eosdem Canones, vel gesta Synodi illius hæcenus non habet, nec accipit.* Nec eos solos intelligebat, qui desiderabantur in collectione Dionysiana: quippe cum ageretur de dignitate, quam sibi arrogabat Episcopus Constantinopolitanus juxta Canonem præfati Concilii, quem vertit Dionysius. Major autem esset error, si quis, quod apud Dionysium non legeret, nihili faciendum existimaret.

3. Præcipuum Autoris illius consilium fuit, non in unum volumen colligere quæcumque vim Ecclesiasticæ legis haberent; sed Græca, quæ non omnibus intellectu facilia erant, in Latinum idioma transferre, quod antea nullus tam fideliter, & tam perspicue præstiterat, mentem hanc suam his in præfatione verbis aperuit. *Quamvis charissimus frater noster Laurentius assidua & familiari cohortatione, parvitatem nostram regulas Ecclesiasticas de Græco transferre pepulerit, confusione, credo, prisca translationis offensus.* Ad didit nihilominus Canones Sardicenses, & Africanos, sed præterquam quod Ephesinos omnes, quorum indubitata est fides, & auctoritas, & duos ultimos Constantinopolitanos, qui etiam, licet seriùs, in Occidente invaluerunt, è Græca in Latinam linguam non convertit; Latinos quamplurimos omisit, & eos quidem maximi ponderis, & momenti, quod etiam silentium tantum abest ut suadeat, eos omni utilitate, aut robore caruisse, ut etiam hinc fortè conjicere liceret, eos usu communi ita notos extitisse, ut novâ publicatione non egerent. Idè enim Sardicenses, & Africanos se exscripsisse profite-

tur,

24 DE NATURA, ORIGINE, AC PROGRESSU,
tur, ne laterent Stephanum, cui opus suum dedicavit; ne
quid præterea notitia, credat velle subtrahere, statuta quoque Sardicensis Con-
cilii, atque Africani, quæ Latinè sunt edita, suis à nobis numeris cernantur esse
distincta.

4. Nùm enim in Gallia, in Hispania, immò in Italia, & Ro-
mæ nulla habita fuerant Concilia tempore Dionysii Exigui? Nulline illie conditi fuerant Canones? Nùm Ecclesia Roma-
na, & Gallicana libentiùs Græcis obsequabantur, quàm suis,
quasi specialibus Provinciarum necessitatibus providissent ex-
teri sapientiùs, aut opportuniùs, quàm Pastores indigenæ,
aut incolæ?

5. Cæterùm quamvis Dionysius in congregandis summo-
rum Pontificum Decretis maximam operam posuerit, ut ad
Julianum Præbyterum tituli S. Anastasi scribit his verbis
præfationis; *sanctitatis vestre piis excitatus studiis, quibus nihil prorsus eor-
um, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam pertinent, omittit inquirere; præterito-
rum sedis, Apostolica Præfulum constituta, quæ valui curâ, diligentiaque collegi,
& in quendam redigens ordinem titulis distincti compositus, Certissimum tam-
en est plurima ejus diligentiam effugisse, quorum etiam
aliqua ipsius collectioni postmodum adjuncta sunt, antequam
Carolo Magno ab Adriano Papa traderetur, ut perhibet Chri-
stophorus Justellus in præfat. ad veterem Codicem Ecclesiæ
universæ; Cui postea, inquit, ab alio Collectore addita sunt Decreta se-
quentium Pontificum Hilarii, Felicis, Simplicii, Hormisdæ, Simmaci, &
Gregorii Junioris. Ex quibus tam Conciliorum Canonibus, quam Pontificum De-
cretis tandem compositus est Codex Canonum Ecclesiæ Romano? Atque ipse est
Codex Canonum, qui ab Adriano Papa Primo Carolo Magno Regi, Romæ obla-
tus est anno 805. ad usum Ecclesiarum Occidentalium. Porro quam-
vis Justellus Pontifices priores Anastasio II. posterioribus
commisceat: certum tamen est Hilarium, Felicem, &
Simplicium antiquiores fuisse Anastasio illo II. cujus Decreta
ultima sunt in collectione Dionysii. Undè necessariò col-
ligitur, Dionysium multa prætermisisse, quæ robore non ca-
rerent.*

6. Referuntur item inter authentica Conciliorum acta, in-
ter primorum Patrum, & fidelium Scriptorum opera, literæ
gravissimæ, atque utilissimæ summorum Pontificum Siricio
antiquiorum, de quarum veritate sine pertinacia, vel etiam
teme-

LIBERTATVM ECCLESIAE GALLICANÆ. LIB. I. 25
temeritate dubitari non possit, quibusque sua reverentia, &
quidem maxima debetur.

7. Quæ igitur collectioni Dionysianæ inserta, vel assuta
sunt majori vi fortasse pollent propter usum, qui latius pa-
tuisse videtur; non tamen idcirco parvi facienda sunt alia,
quorum veritas sufficientibus argumentis manifesta fuerit.
Cujusmodi sunt v. g. epistola Julii Papæ Primi, ex Apolo-
gia 2. S. Anastasii, aliæque quamplures aliorum Pontificum
ab antiquis Scriptoribus relatæ, vel etiam à Recentioribus è
tenebris erutæ, qua in re laudabiliter hodie plures desudant.
Non est ergo cur antiqua disciplina à Gallis observanda intra
Dionysii Codicem concludatur.

C A P U T I X.

De Epistolis Decretalibus antiquiorum Pontificum.

1. **A** Cris fuit olim disceptatio inter Hincmarum Archie-
piscopum Rhemensem, & ipsius nepotem Hincma-
rum Laudunensem Episcopum, quæ etiam ad alios Episco-
pos Galliæ, & ad Nicolaum Primum summum Pontificem
attinuit, occasione Decretalium Epistolarum veterum Pon-
tificum, quas Riculphus Episcopus Moguntinus ex Hispania
in Gallias detulerat sub finem octavi, aut initio noni sæculi.
Nulla certè fuisset contentio, si adhibita fuisset debita dili-
gentia in exquirenda illarum veritate. Aut enim detecta fuisset
illarum suppositio, aut dubia saltem fides evasisset, ut
regularum loco liqueret non esse habendas.

2. Gallici scriptores ex Dionysii silentio, qui, ut diximus
quâ valuerat curâ, & diligentia præteritorum Apostolicæ se-
dis Præfulum constituta collegerat, arguunt suppositas esse
antiquas illas Decretales. Quamvis enim non ita potuerit om-
nia Dionysius assequi, ut adhuc indies non eruantur è tene-
bris certissima antiquioris temporis documenta, difficile est,
ut cum Romæ scribentem tot, tantæque epistolæ effugerint.
Quid causæ fuisset, ut tam præclara antiquitatis monumen-
ta, tamque ob dignitatem, & sanctitatem Autorum, nec

D non

26 DE NATURA, ORIGINE, AC PROGRESSU,
non ob materiæ præstantiam commendanda, per tot sæcula
in tenebris jacuissent, hoc est à primis Ecclesiæ temporibus,
quibus eam gubernarunt Pontifices, quorum nominibus in-
signiuntur, usque ad octavum, aut nonum sæculum, cum à
Riculpho in Galliam invec̃ta sunt ex Hispania sub nomine
Isidori collecta.

3. Accedit, quod earum Epistolarum stylus parum cum eo
convenit, quo communiter utebantur omnes illius ætatis
Autores, qua scriptæ dicuntur. Atque cum una, eademque
sit illarum omnium textura, satis innuitur, non diversis tem-
poribus, & sæculis, atque à tot diversis Pontificibus scrip-
tas, sed simul ab eodem scriptore confictas. Quin etiam non
defuerunt, qui, eisdem diligenter inspectis, singulas penè
illarum partes ad veros Autores illis Pontificibus recentiores
retulerint, ut factâ collatione vix dubitandi locus remaneat,
eas ex illis scriptoribus extractas, & interpolatas fuisse. Le-
guntur enim v. g. in illis non sententiæ tantum, sed phrasæ
etiam ipsæ Codicis Theodosiani tardiùs editi.

4. Deindè cum Sacræ Scripturæ loca, quæ in eis plurima,
& prolixissima sunt, referantur ex versione vulgata, quam
vel composuit, vel saltem emendavit S. Hieronymus, Pon-
tificibus illis, quorum esse dicuntur, junior, post ejus tem-
pora fabricatas fuisse, non leve argumentum est. Cumque
nihilominus S. Hieronymus illis Pontificibus vicinus extite-
rit, ac de illo S. Augustinus hoc protulerit encomium; *Hic
omnes, vel penè omnes, qui ante illum ex utraque parte orbis de doctrina Ecclesi-
astica scripserant, legit.* lib. 1. contra Julianum cap. 7. Nonne ali-
quod reperisset illarum Epistolarum vestigium inter tot volu-
mina, quot illum evolvisse novimus? At si quod occurrisset,
in texendo Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, tot, tam-
que insignium Autorum certè non fuisset oblitus.

5. Denique qui proximè secuti sunt Pontifices, quorum-
que literæ indubitatæ ad nos usque devenerunt, suas senten-
tias tam venerabilium Prædecessorum autoritate confirmare
non neglexissent.

6. His, aliisque argumentis non solum Gallici scriptores,
sed etiam Romani ducti sunt, ut epistolis illis fidem dene-
garent, Eminentissimus Cardinalis Bellarminus suam his ver-
bis

bis sententiam indicat, de Romano Pontifice lib. 2. cap. 14. Indubitatas esse affirmare non audeam. Suam certius Cardinalis Baronius ad annum 865. num. 4. *Ex multis, inquit, eas reddi suspectas epistolas, quæ dicta sunt 2. Annalium tomo, dum de singulis mentio facta est, satis est demonstratum.*

7. Suspiciari quidem videbatur Hincmarus Rhemensis eas falsas esse: falsitatem tamen apertè affirmare non audebat; sed aliis rationibus vim earum conabatur infringere: nempe quod in Canonum collectione desiderarentur; quod Gelafus Primus suorum Prædecessorum literas venerabiliter tantum haberi voluisset; quod cum aliis epistolis summorum Pontificum, cum Canonibus, cum usu, imò & inter se pugnarent, & cæteris similibus.

8. Nicolaus I. etiam non nihil circa illarum veritatem hæsitare videbatur, ideoque non omnes indiscriminatim admitti volebat, sed tantum quæ veræ probarentur legitimis indiciis, quod significasse videtur his verbis epist. 42. quæ est ad universos Episcopos Galliæ; *Abstine enim ut cuiuscumque usque ad ultimum vita sua diem, qui in fide Catholica perseveravit, vel Decretalia constituta, vel de Ecclesiastica disciplina qualibet exposita debito cultu, & cum summa discretione non amplectamur opuscula, quæ dumtaxat, & antiquitus S. Romana Ecclesia conservans, nobis quoque custodienda mandavit, & penes se in suis Archievis, & in vetustis ritè monumentis recondita veneratur.* Sed instabat vehementius adversus eam rationem Gallicanorum Antistitum, quod scilicet Decretales illæ cum non haberentur in Codice Canonum, robore carerent. Videbat enim eadem ratione multorum aliorum Decretorum, & documentorum autoritatem elusum iri. Reponēbat itaque non omnia in Codicem Canonum fuisse congesta, quæ sequenda essent, alioquin, & Sacræ Scripturæ libris autoritatem defuturam.

9. Tandem si credimus Illustrissimo Petro de Marca lib. 3. cap. 6. n. 2. *ed devenitum est, ut TANTIS NOMINIBVS VETERVM PONTIFICVM CESSERINT VNA CVM RELIQVIS EPISCOPIS ETIAM GALLICANÆ ECCLESIE RECTORES.* Equidem illorum Sententiæ aliquando expressis sæpius tacitis Autorum nominibus probatæ sunt in variis Conciliis Gallicanis, & in Regiis Capitularibus.

10. Quin etiam Hincmarus ipse Rhemensis, qui eas quando

28 DE NATVRA, ORIGINE, AC PROGRESSV,
do suis consiliis adversabantur, tam acriter impugnabat; quan-
do favebant, sæpenumerò usurpavit. Non solum enim cap.
15. opusc. 55. capitum, in quo quidem opusculo earum ro-
bur imminuere vehementer conatus est, earum autoritate
usus est adversus Hincmarum Laudunensem Episcopum, &
nepotem suum eas acriter defendentem, sed etiam alibi passim.
Ita v. g. in epistola ad Carolum Calvum, quæ est 29. in edi-
tione Jacobi Sirmondi, primam S. Urbani, unicam S. Lucii,
secundam S. Stephani Papæ, & Martyris laudat.

11. Ivo Episcopus Carnotensis Canonice disciplinæ peri-
tissimus eos suæ collectioni inseruit, quam præfatus Domi-
nus de Marca ad Ecclesiæ Gallicanæ usum compactam affir-
mat lib. 3. cap. 6. n. 2.

12. Quæ quidem testimonia sufficerent ad stabilendam
usquequaque illarum epistolarum autoritatem etiam in Gal-
liis, nisi re diligentius expensa detecta fuisset illarum falsi-
tas. Vix enim quispiam assentitur hodiè Turriano, Binio,
& paucissimis aliis, qui postremis temporibus illarum patro-
cinium susceperunt.

13. Quamvis autem ferè certum apud Scriptores tum Gal-
licanos tum Romanos hodiè sit, Epistolas illas Decretales
supposititium esse, non germanum, antiquorum Pontificum
fæctum; non eo tamen odio prosequendæ sunt, ut falsa, vel
suspecta omnis habeatur doctrina, in cujus confirmationem
adducantur; tam enim communiter receptæ sunt non solum
à summis Pontificibus, à quibus adoptatæ, ut ita dicam,
videntur, sed etiam à Theologis, Juris Canonici peritis, à
Conciliis, & à Regibus Galliæ, atque ab omni Scriptorum
genere, ut ab Ecclesia ipsa universa probatæ videantur, atque
adèd certum sit, nihil contineri (in illis saltem locis præ-
dictarum Decretalium, quæ tam universè laudatæ sunt) quod
fidei, aut bonis moribus non consentiat. Ab iis tamen de in-
dustria citandis abstinemus, etiamsi nobis maximè favere
videantur, ne doctrinæ certæ dubiis probationibus fidem
conciliare velle videamur; nec illarum quamvis in Gallia re-
ceptarum, ac diù in pretio habitarum autoritatem variis li-
bertatum Gallicanarum capitibus, quibus adversantur op-
ponemus.

C A-

CAPUT X.

De speciali Ecclesiae Gallicanae Codice.

1. **E**cclēsiae Gallicanae Antistites Canonicae disciplinae studiosos, non solum Ecclesiae universae, sed & proprios Canones, vel in eodem, vel in diversis Codicibus collegisse mihi facile persuaserim, sed an fuerit determinatus aliquis Codex, in quo inessent omnes regulae Canonicae, quas sequi nemo non teneretur, & extra quem nulla esset, ad quam Galli adstringerentur, non ita compertum est.

2. *Habuit etiam Ecclesia Gallicana, inquit Christophorus Justellus in praefat. ad Codicem Canonum Ecclesiae universae, praeter Codicem universalem quamdam suarum Synodorum collectionem, Gallicanorum Canonum nomine receptam, quorum meminit Hormisda, Papa apud Gratianum his verbis; secundum titulos antiquorum Patrum sancto Spiritu suggerente conscriptos, & secundam sententias 318. Episcoporum (hoc est Nicenos Canones) quas etiam Gallicani Canones continere videntur, Clerici in adulterio deprehensi, aut ipsi confessi, aut ab aliis convicti ad honorem redire non possunt.*

3. *Affirmat item Carolus Fevret lib. I. cap. 4. num. 19. ultra Codicem Canonicum (sic ille vocat collectionem Dionysii Exigui) Ecclesiam Gallicanam proprium suum Codicem habuisse, Gallicanorum Canonum nuncupatum; eumque approbatum fuisse ab Ecclesia Romana Can. si quis Diaconus dist. 50.*

4. *Continebat autem Codex ille Canones in Gallia editos, sive à Conciliis Nationalibus, sive à Provincialibus, ut asserit Dominus de Marca lib. 6. cap. 21. num. 7. his verbis; Eorum Canonum collectio fiebat, qui conditi erant ab universa Ecclesia Gallicana, vel à quadam ejus portione, sive in Regno Visigotorum, Burgundiorum, aut Francorum, sive etiam in Provincia Gallicana Regni Italia, in qua habitare fuere Synodi Arvensiana, & alia quadam Provinciales: hiq; Canones recipiebantur ab Episcopis aliarum Provinciarum, confecta collectione sub nomine Gallicanorum Canonum.*

5. *Jacobus Sirmondus in praefatione ad Concilia Galliae*

30 DE NATURA, ORIGINE, AC PROGRESSU,
probat ex varietate collectionum nullam fuisse authenticam,
& approbatam: In tanta, inquit, *Synodali voluminum copia, quibus abundat Gallia, vix ullum reperire sit, in quo eadem, qua in ceteris, nullum, in quo Synodi Gallicana veteres uniuersa contineantur, ut facili inde coniectura sit, nullam olim certam, et receptam Synodorum nostrarum collectionem, nullum Gallicanorum Canonum corpus fuisse.* Idem paulò inferius repetit.

6. Agobardus, qui vivebat paulò antè medium noni sæculi lib. de dispensat. Eccles. & epist. ad Imperatores de duello, antiquos Romanos asserit veneratos Canones Gallicanos; Neotericos autem eos non commendasse; *huc accedit, inquit, aliud de Canonibus, scilicet Gallicanis, qui quasi superflui, aut inutiles, à quibusdam respiciuntur, eo quod Neoterici Romani eos non commendaverint, cum antiqui religiose eos venerati sint.* Cæterum Codicis alicujus, vel collectionis non meminit.

7. Verba etiam Can. *si quis Diaconus* quæ refert Justellus, & citat Fevretus Codicis alicujus mentionem non faciunt, sed tantum Canonum Gallicanorum, nec aliud significant, nisi Canones Concilii Nicæni, cui 318. Episcopi interfuerant, ab Episcopis Gallicanis receptos fuisse in deponendis Clericis in adulterio deprehensis, non autem approbatum fuisse aliquem Codicem, vel ullam Canonum collectionem. Jacobus Sirmondus, & Philippus Labbeus Canonem illum aliter referunt, his scilicet verbis. *Manifestissime constat, quia secundum quod & tituli antiquorum Patrum à S. Joanne transmissi, & 318. Episcoporum sententia, sed & CANONES GALLICANI continere videntur, Clerici in adulterio deprehensi, &c.* Quæ verba animadvertit Sirmondus non ab aliquo Pontifice, sed à S. Cæsario Arelatensi Archiepiscopo prolata esse, occasione contumeliosi Episcopi Regiensis, quem Pontifex ille deponendum decreverat. Sanè Hormisdæ, cum ejus tempore nullus extiterit Papa nomine Joannes, falsò à Gratiano adscribuntur. Licet autem hæc verba. *Canones Gallicani* Codicem aliquem, seu collectionem indicarent, non continerent tamen aliquam Ecclesiæ Romanæ approbationem.

8. Porrò fuerit necne Codex aliquis, seu Collectio Canonum Gallicanorum, & an fuerit approbatus ab Ecclesia Romana,

mana, scire parum iuaret, cum amplius non extet, & quibus Canonibus constiterit, ignoremus, ut fatetur Paschasius Quesnel dissert. 16. cap. 15. Itaque non à Codice aliquo ab Ecclesia Romana approbato vim habent Canones Gallicani, sed à Conciliis in quibus conditi sunt, ab usu, & utilitate, & si quae sunt aliae rationes.

9 Quae autem, quantaque sit illa vis rectè determinant Autores Galli, dum illos quidem Canones, seu regulas habent eò sibi religiosius observandas, quòd, & à Sanctissimis Pastoribus, ac in Christo parentibus, sibi propositae sint, & specialiter illius Regni moribus, & negotiis accomodatae, & tamen Canonibus Ecclesiae Romanae postponunt. Ità cum Agobardus antiquos Romanos Canones Gallicanos in veneratione fuisse praemisisset, & causam subjunxisset: *QVONIAM VENERANDI, ET SANCTI VIRI EOS EDIDERVNT, QVORVM VITAM, ET SANCTITATEM CREBRA MIRACVLA COMMENDAVNT.* Addit paulò inferius; *Neque hoc idcirco dicitur, ut passim omnium Episcopaliū Conventuum sanctiones aequali auctoritate recipiende credantur, ut Niceni, Calcedonensis, & ceterorum Generalium extotius mundi consensu congregatorum, & receptorum, sed quia congrua veneratione pro causis necessariis, quarum definitiones in illis generalibus non inveniuntur, fides sit eis adhibenda religione debita, & melius sit unicuique, EORVM SEQVI AVTORITATEM, QVAM PROPRIVM SENSVM.* Agobardus ad Ludovicum Imperatorem de impietate duelli. Idem in opusc. de dispensatione, ministerio, & ordine totius rei Ecclesiasticae.

10. Idem profitetur Dominus de Marca loco citato, his verbis; *Quoniam verò ut docuit Augustinus Concilia Provinciarum plenariorum Conciliorum auctoritati, quae sunt ex universo orbe Christiano, sine ullis ambagibus cedunt, Canones Gallicani in iis causis obtinent, quae Canonibus antiquis definita non sunt.*

11. Hanc esse mentem totius Ecclesiae Gallicanae testis est Fevretus loco etiam supra cit. num. 20. „ Ecclesia Gallicana, inquit Codici suo speciali Gallicanorum Canonum non „ tantam tribuebat auctoritatem, quantam Canonibus Codici „ ce Ecclesiae Romanae contentis.

12. Venerandi sunt igitur antiqui Ecclesiae Gallicanae Canones. Primò propter Antistitum, à quibus editi sunt, me-
rita.

32 DE NATVRA, ORIGINE, AC PROGRESSV,
rita. 2. Quia illuc recurrere necesse est, cū Ecclesia Ro-
mana, vel universalis regulas non subministrant, quibus spe-
cialia negotia definiri queant. 3. Ut eadem sit ejusdem Regni
Canonica disciplina, sicut eadem sunt leges civiles. Non
sunt tamen universalium Conciliorum, aut summorum Pon-
tificum Decretis anteponendi, vel etiam exequandi; Mul-
tò minùs prætextu libertatis opponendi.

C A P U T X I.

De Capitularibus Regum Franciæ.

1. **I**N eam rerum omnium & Ecclesiasticarum, & Civi-
lium perturbationem, & confusionem inciderat Gallia
sub finem septimi sæculi, ac principio octavi, ut Religio om-
nis obliteranda videretur, nisi Clodovei posteritati, à radi-
ce degeneri substituta Caroli Martelli familia, Ecclesiæ in eo
Regnò ferè collapsæ succurrisset, quod tūm ex aliis monu-
mentis addiscimus, tūm ex Epistola S. Bonifacii ad Zacha-
riam Papam, cujus secundus articulus sic habet: *Notum simi-
liter sit Paternitati vestrae quod Carlomannus Dux Francorum me accersitum ad
se rogavit in parte Regni Francorum, que in sua est potestate, Synodum inci-
pere congregare, & promisit se de Ecclesiastica Religione, que jam longo tem-
pore, id est non minus quam per 60. aut 70. annos, calcata, aut dissipata
fuit aliquid corrigere, & emendare velle. Qua propter si hoc, Deo inspirante,
veraciter adimplere voluerit, consilium, & PRÆCEPTVM SANCTÆ
VESTRÆ AVTORITATIS, ID EST APOSTOLICÆ SEDIS HA-
BERE, ET SAPERE DEBEO. Franci enim, ut seniores dicunt, plus-
quam per tempus 80. annorum Synodum non fecerunt, nec Archiepiscopum ha-
buerunt, nec Ecclesiæ Canonica jura fundabant, vel renovabant. Modo autem
maxima ex parte per Civitates, Episcopales sedes traditæ sunt laicis cupidis ad
possidendum, vel adulteratis Clericis, scortatoribus, & Publicanis seculariter
ad persuendum. Nam si per verbum vestrum, aut negotium Duce rogante
supradictò, movere, & incipere debeo, PRÆCEPTVM, ET IUDICIVM
APOSTOLICÆ SEDIS cum Canonibus Ecclesiasticis præsto habere cupio.
Consensit libentissimè Zacharias tam justæ Carlomanni peti-
tioni, ut illius Pontificis literæ responforiæ declarant.*

2, Eo-

2. Eodem zelo accensus est Pippinus Carlomanni frater, Martelliq̄ue filius, ejusq̄ue pietate, cura, & ope congregata sunt plurima Concilia, edita sunt plurima Decreta: consultus est summus Pontifex; ejus implorata est autoritas, ac sensim demum restituti sunt Christiani mores, & Ecclesiastica disciplina.

3. Illustrior in hoc genere sicut & in ceteris fuit Carolus Magnus, cujus zelus, pietas, & magnificentia immortalem illi gloriam pepererunt. Nam incredibili cum ardore in renovanda disciplina Canonica desudavit, quemadmodum à Papa Adriano I. rogatus fuerat, à quo etiam Codicem acceperat Dionysii Exigui, ut Canonum, & Decretorum in contentorum usum revocandum curaret.

4. Carolum Magnum secuti sunt ejus Successores, qui etiam congregatis Regni Præsulibus, iisque assentientibus, & consentientibus, multa ordinarunt circa politiam Ecclesiasticam.

5. Equum igitur esset, ut quæ ab illis Principibus constituta sunt de Prælatorum sententia, & plerumque cum assensu Romani Pontificis ad confirmandam, vel ad reparandam disciplinam Canonica plurimum valerent, ac in iis observandis partem libertatis suæ Ecclesia collocaret Gallicana.

6. Equidem viguisse olim leges illas in Gallia docent antiqua monumenta, & moderni scriptores. Autor libelli Gallicè conscripti cum titulo: *L'abbé Commendataire cap. II. collectionem Capitularium Regum Francorum vocat primum Codicem Francicum; le premier Code François.* Stephanus Baluzius in præfat. ad collectionem eorundem Capitularium, quam ipse ampliorem, & accuratius digestam edidit, magno in pretio fuisse olim habitam illam, quam composuerat Angelus Abbas, probat num. 41. & 42. *Tanquam, inquit, dicto num. 42. publicum legum Francicarum Codicem Regia autoritate, & usu publico receptum.*

7. Verum tot sunt ex illis Capitularibus articuli, & quidem maximi momenti modernæ Francorum praxi contrarii, ut Codex ille nequaquam fundamentum libertatum Gallicanarum dici queat. Norunt qui Regni illius modernos usus

E

per-

34 DE NATURA, ORIGINE, AC PROGRESSU, .
perspectos habent, ac cum antiquis illis legibus contulerunt,
quantum inter se distent.

8. Posset etiam fortassis colligi ex diuturno neglectu ac-
curatae illorum Capitularium editionis, quem innuit Ste-
phanus Baluzius in editionis suae praefatione à num. 49. illa
dudum non tanti fuisse in Gallia habita. Nec legimus Gallos,
vel eo tempore, quo suas libertates acrius, ac frequentius
allegare ceperunt ea Capitularia protulisse; neque audivi-
mus apud illos praxim earum legum, saltem plusquam alibi,
jam pridem viguisse.

C A P U T X I I .

*Maneam esse definitionem Libertatum Ecclesiae Gallicanae,
nec rei definita convenire.*

1. **C**onstat ex supradictis, obscuram fore libertatum Eccle-
siae Gallicanae definitionem, si antiqui Canones, qui
bus illae definiuntur, certo Codice speciali conclusi suppo-
nantur, quippe cum assignari vix possit: sed dicit quis, Ca-
nones illos è propriis fontibus hauriri, puta Nicenos, à Con-
cilio Nicæno, Constantinopolitanos, à Concilio Constans-
tinopolitano, & sic de reliquis. Verum difficultas recurrit,
quousque se extendat, illa antiquitas, quæ libertatibus vin-
dicatur, an de omnibus Canonibus intelligatur?

2. Quovis autem modo accipiatur hæc definitio, manca
est, præcipuaque sui parte caret, nempe differentia. Nam
aliæ Ecclesiae hanc sibi laudem præripi, solique Gallicanae
concedi non permittent, ut exactam veteris disciplinae cus-
todiam sibi soli vindicet, quasi reliquæ Canones antiquos
minus colerent.

3. Nec aliunde quam à Gallicanis ipsis scriptoribus con-
quirenda sunt testimonia, quibus probemus reliquis etiam
Ecclesiae partibus antiquissimam esse Canonicæ disciplinae
custodiam. Quo circa sufficit legere praefationem Christophori
Justelli ad veterem Codicem Canonum Ecclesiae universæ, ubi
præcipuas percurrit Ecclesias, easque illius disciplinae studio-
sissimas

firmas fuisse demonstrat; inter alias de Hispania hæc habet; At de Hispaniis quidem dubitari non potest illos præcorum Canonum, Codice Ecclesie universæ comprehensorum, jure ab initio usus fuisse, quorum adeo studiose, & amatores fuerunt, ut quum Synodis subscriberent, hac formula uterentur, salvâ autoritate præcorum Canonum, ut in subscriptionibus Concilii Toletani 2. observare licet. Et Bracharense Concilium anno 563. celebratum, nominatim Codicis Canonum meminit his verbis: Lucretius Episcopus dixit; Necessarium arbitror, si vestra fraternitati videtur, ut instituta Sanctorum Patrum, recensitis antiquis Canonibus, imotescant: Quæ etsi non omnia, certè vel paucæ quædam, quæ ad instructionem Clericalis disciplina pertinent relegantur. Omnes Episcopi dixerunt, placet, quod dictum est, & congrua res est, ut quibus forsasse per incuriam abolita sunt Ecclesiastica constituta, audiant Sanctorum Canonum regulam, & observent. Relicti sunt ex Codice Canonum coram Concilio tam Synodorum generalium Canones, quam localium. Et postea can. 40. placuit, ut PRÆCEPTA ANTIQVORVM CANONVM, quæ modo in Concilio recitata sunt, NULLVS AVDEAT PRÆTERIRE. Codicis etiam Canonum meminit Concilium Toletanum 4. anno 633. celebratum Can. 2. 3. & 4. Diaconus Codicem Canonum in medio proferens Capitula de Conciliis agendis pronuntiat.

4. Hanc autem antiquorum Canonum observantiam Hispani olim maximè cordi fuisse notavit idem Justellus in præfatione ad Codicem Canonum Ecclesie Africanæ his verbis; Hispani etiam Episcopi quum suis Synodis subscriberent hac formulâ utebantur, salvâ autoritate præcorum Canonum.

5. Romanæ Ecclesie, quæ cæterarum omnium caput, & mater est, tanta fuit olim in observandis præcorum Canonibus religio, ut ex verbis, quibus illam antiqui Pontifices significarunt Joannes Launoïus Doctor Parisiensis inferat, Papam esse Concilio inferiorem; quam tamen consequentiam legitimam non esse ostendemus lib. 5.

6. Respondebunt Galli; olim quidem rem ita se habuisse, modò verò econtra; atque hinc ortas Gallicanas libertates Galliâ disciplinam antiquam retinente, Româ verò evertente. Verùm an non etiam hodiè summi Pontifices Prædecessorum suorum erga sacra Concilia venerationem diligentius imitentur, quam Galli suorum, in decursu patebit.

7. Modernam Ecclesie Gallicanæ praxim cum aliarum Provinciarum Catholicarum praxi circa singulos Canones, ut

36 DE NATVRA, ORIGINE, AC PROGRESSV,
deceveram, non componam; tùm quia proluxa nimis res ef-
fet, tùm ne quis privato aliquo affectu ductum me in aliquam
partem inclinasse arbitretur; qua in re à vero longissimè aber-
raret. Sed tantùm hic adverto, Joannem Doujat Advocatum,
atque Antecessorem Parisiensem, & Regium Sacrorum Ca-
nonum Professore, in Juris Pontificii historię synopsis,
quæ Arnoldi Coryini aphorismis aliquandò præfigitur, de
collectionibus Gratiani Decreto antiquioribus, sic pronun-
ciare; *atque hucusque pertinet jus Canonicum obsoletum.*

8. At revera definitio, quod vitium est omnium maxi-
mum, rei definitæ non convenit, ut advertenti cuilibet pa-
tebit. Ego quidem, cùm libertatum Ecclesiæ Gallicanæ no-
mine fidelem antiquæ disciplinæ custodiam significari audi-
rem, videremque rem tantopere laudandam à tam multis vi-
tio verti, operæpretium esse duxi antiquorum Conciliorum
Decreta, & indubitatas veterum Pontificum Decretales per-
scrutari, ut intelligerem, quinam essent antiqui Canones,
quibus observandis constarent illæ libertates. Verùm iis in va-
rias classes distributis, comperi quosdam ad Galliam nulla-
tenus pertinere, quippe qui pro certis aliis Ecclesiis, vel
Provinciis, pro certis temporibus, personis, aut negotiis
specialibus conditi fuerint: Alios certa disciplinæ capita
constituisse, quæ neque in Gallia, neque alibi usquam obser-
vantur; alios alibi, perindè atque in Gallia, vigere; alios
denique ità non valere in Gallia, ut si quis fortè in usum eos
revocare conaretur, à Curiis sæcularibus, vel etiam à Præla-
tis Ecclesiasticis impediretur, ita ut vel nulli, vel saltem pau-
cissimi superfint, quorum fideliori custodiâ possit Francia
gloriarì.

9. Siquis illa duo volumina percurrat; de quibus in 2.
capite facta est mentio, & in quorum altero tractatus omnes
de hac materia editos, sub titulo: *Traité des Droits, & Libertez
de l'Eglise Gallicane* 1639. colligere Autor studuit, in altero pro-
bationes referre rerum in primo contentarum, sub titulo:
Preuves des Libertez de l'Eglise Gallicane 1639. animadvertet in pri-
mo quidem volumine ferè nunquam probari quæ dicuntur;
In 2. probationes plerumque Decreta esse Regum Christia-
nissimorum, Curiarum Regiarum placita, Universitatis, aut
Comi-

Comitiorum Regni Acta, tempore schismatis inter plures Pontifices, aut dissidiorum inter summos Pontifices, & Reges Galliā emissa; in neutro Canones allegari, nisi rarissime, vel ad confirmanda generalia quædam, quæ ad dirimendas controversiasmodò non pertinent. Quomodò ergò libertates illæ definiiri possunt antiquorum Canonum exacta custodia? Scio equidem, idque jam in cap. 1. notavi, duo hæc volumina Clero Gallicano cum recens fuissent edita, displicuisse. Sed nonne doctrina in illis contenta quotidiana praxi confirmatur? Nonne propter illa commendatur Autor, quem Petrum Puteanum, seu Du Puy Consiliarium Regium, & Bibliothecæ Regiæ Præfectum fuisse publica erat fama, & mox veritas prodidit. Vide Jacobum Moreri Lugdunensem Doctorem Theologum in suo Dictionario Historico anno 1681. edito.

C A P U T X I I I.

Ostenditur ex alio capite mancam esse Libertatum Ecclesie Gallicanæ definitionem.

1. **D**Um libertates Ecclesiæ Gallicanæ ita definiuntur, ut solius antiqui juris tuendi fiat mentio, novis Canonibus, novisque Decretis, quorum tamen sæpè maxima est necessitas, aditus omnis præcludi videtur. An ergo si nova necessitas novum requirat remedium, præstabit Religioni, aut Ecclesiæ perniciem afferri, quàm antiquos mores tantillum immutari? Hoc adedò iniquum esset, ut Gallis in mentem venisse suspicari nefas sit. Illustrissimus Petrus de Marca licet libertates Ecclesiæ Gallicanæ ita definierit lib. 3. cap. 1. §. 7. *Ut sint nempe usus antiqui juris communis, eam definitionem aut emendavit, aut explicavit capite sequenti num. 1. in hunc modum; Libertatem Ecclesiæ Gallicanæ, Canonum & juris communis executione contineri diximus. Sed jus illud commune variè sumi potest: Aliud est enim jus commune antiquissimum, quod antiquos Canones, & Decreta Pontificum amplectitur, aliud jus commune, quod illis Canonibus, & præterea Decretalibus recentioribus Pontificum constat, prout apud nos usu recepto tempe-*

vata sunt. Hoc ultimo iure libertatem Ecclesie Gallicane contineri contendimus, non autem primo. Capite autem 6. num. 5. Libertatem, inquit, in rebus antiqui, & novi juris usu constituimus, necessariasque nostro seculo Decretalium definitiones, quae novis negotiis prospexerunt non absque manifesta ratione existimamus.

2. Leschassierius quidem in contrariam sententiam deflexisse videtur; sed idem D. Petrus de Marca illi disertis verbis repugnat; Longissime, inquit, recedimus à Leschassierio, qui assertis Curiae supremis Galliae concedit non solum libertatis Ecclesiae praesentis tuitionem, sed verè illius germana, & Canonica, quae Apostolico, & primitivo iure Canonico nititur. Adeo Magistratibus incumbat, Decretis suis disciplinam illam antiquam paulatim restituere, cum per temporum iniuriam id fieri non possit aperte Constitutionibus Regiis.

3. Cæterum suam, totius etiam Ecclesiae Gallicanae sententiam esse probat, ac fuisse illis etiam temporibus, cum ferrentur magis disceptationes, in quibus libertates Ecclesiae Gallicanae aliis personabant, ut jam supra vidimus. Sic enim profertur cap. 6. Non alia mens est aut B. Ludovici, aut Caroli VI. & totius Ecclesiae Gallicanae, cum libertatem Ecclesiae in iure communi versari contendunt; antiquos enim canones, & ius commune intelligebant; quod Gratiani Decreto, & Decretalibus erat comprehensum; idque ratione probat, & autoritate in hunc modum. Id manifeste probatur non solum ex eo quod vetus Codex Canonum illis esset incognitus, sed etiam à Concilio Constantiensi; Etenim Sessione 39. cum de fidei professione à Papa edenda caveret, non solum octo Concilia oecumenica ab illo conferenda decernit; sed etiam Lateranense, Lugdunense, et Viennense. Quare seculo Caroli VI. Conciliorum generalium nomine Ecclesia Gallicana non solum vetera, sed etiam recentiora illa intelligebat.

4. Quin etiam Decretales omnes ferè, paucissimis exceptis in Gallia locum habere testatur. Enim verò, inquit, in Gallia quod ad disciplinam attinet, Decretalium constitutis locum damus, cum bona Pontificum venia, quae nostris rebus, & utilitati publicae accomodata sunt, id est omnibus ferè, paucissimis exceptis. Operæpretium esset, ut assignarentur paucissimæ illæ constitutiones, quia si in minimo numero sunt, facilius indulgere possent summi Pon-

Pon-

Pontifices, ut ab illarum executione Galli abstinerent: Nec paucissimarum illarum prætextu aliæ respuerentur; Itaque vel non orientur, vel nullo negotio componerentur plurimæ contentiones, ob quas Christianissima illa gens apud cæteras malè audit.

5. Igitur libertates Ecclesiæ Gallicanæ in sola juris antiqui observatione malè reponunt communiter Autores Gallicani, siquidem tanta est illorum dissensio in assignando illo jure antiquo, seu Codice, in quo continebatur, ac præterea paucissimi ex antiquis Canonibus magis in Gallia, quam alibi vigent; Multi etiam minùs, quàm alibi; Nonnulli ejusmodi sunt, ut si quis eos in usum revocare tentaret, ab ipsis libertatum vindicibus cohiberetur. Plurimi nullibi observantur, ut eos percurrenti ad oculum patet.

6. Sanè si quis attentius consideret, quæ hodiè geruntur in Gallia prætextu libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, quæque de illis scribuntur, eas non ineptè definiri posse arbitrabitur: OPPRESSIONEM JURISDICTIONIS ECCLESIASTICÆ A LAICA, ET DEPRESSIONEM AVTORITATIS ROMANI PONTIFICIS A CLERO GALlicANO. Verùm quia iniquum esset, injurias illas toti Clero, & Populo Christianissimi, ac florentissimi illius Regni adscribere, aut quid in certis casibus agatur, dumtaxat attendere, tradenda esset libertatum illarum definitio, minus odiosa, & tamen à communi scriptorum Gallicanorum doctrina, & frequentiore usu illius Regni minus remota, quàm quæ sola Canonum antiquorum observatione continetur.

7. Vocantur igitur non incongruè *Libertates Ecclesiæ Gallicanæ*; ARBITRIVM EX ANTIQVIS ECCLESIE DECRETIS RETINENDI, ET EX NOVIS ADMITTENDI EA QUÆ VIDENTVR VTLIA, Quandoquidem illic, & antiqua quamplurima fuerunt abrogata, & nova omnia, si non acceptentur vi carere dicuntur.

C A P U T X I V.

*De origine libertatum Ecclesie Gallicanae, & primò,
Utrum in Concilio primo Turonico, vel in Franco-
fordiensi usurpatae fuerint?*

1. **Q**ui libertates Ecclesie Gallicanae in accurata, & constanti juris antiqui executione constituunt, eas Canonibus ipsis coevas asserunt. Verùm quia certissimum est alias etiam Nationes executas esse Canones, saltem aliquandiu, liberet scire, quò potissimum tempore impetitam veterem disciplinam viriliter defendere, aut everfam restaurare vehementius enixi fuerint, vel potius, ut probabiliori eorum definitioni insistamus, quando retinendorum, vel rejiciendorum, aut moderandorum Ecclesie Decretorum arbitrium sibi assumpserint Galli.

2. Quo in examine, aliò remissis pluribus controversiis olim circa Canonum, & Decretalium executionem exortis, nonnullis etiam prætermisissis, eò quod personæ illas moventes non ejus fuerint sanctitatis, ac dignitatis, & æquitatis, ut ex illarum exemplo solo ratum certum aliquid statui debeat, iis tantum nunc immorabimur, quæ, ob personarum, atque aliarum circumstantiarum meritum, contemni non possunt, nec alibi commodius tractari. Ex quibus præcipua videntur quorundam Conciliorum Decreta, & sancti Ludovici Pragmatica Sanctio.

3. Libertatis, seu nova summi Pontificis, aut etiam Ecclesie universae Decreta examinandi, admittendi, rejiciendi, temperandi facultatis, praxim antiquissimam esse contendit Illustrissimus D. de Marca lib. 2. cap. 17. num. 1. Ejus primum exemplum refert ad Concilium Turonense primum, quod putat decretis Siricii, & Innocentii I. temperamentum aliquod adhibuisse circa pœnam Clericorum, qui post ordinationem ab usu matrimonii non abstinuissent; sublatâ nimirum excommunicatione à summis Pontificibus contra incontinentiam illam indictâ.

4. Verum quod Concilium Turonicum à Patribus constitutum dicit, ad Siricium; & Innocentium perperam refertur. Innocentius enim excommunicationis illius nullibi mentionem facit, licet de Clericorum incontinentia in tribus epistolis loquatur, scilicet in 2. quæ est ad Victricium Episcopum Rothomagensis, in 3. quæ est ad sanctum Exuperium Episcopum Tholosanum, & in 5. quæ est ad Maximum, & Severum Episcopos per Brutios. Siricius item in ea epistola, quam ad Himerium Episcopum Tarraconensem scribit, & in qua punctum illud tractat, excommunicationis non meminit. Verum quidem est summum illum Pontificem in epistola 4. quæ est ad Episcopos per Africam, propositis variis Decretis hæc verba subjungere: *si quis sanè instatus mente carnis suæ AB HAC CANONIS RATIONE VOLVERIT EVAGARI, SCIAT SE A NOSTRA COMMVNIONE SECLVSVM.* Sed primò si Concilium Turonense id quod Siricius his verbis expresserat, à nostra communione seclusum, abrogare intendisset, non istà loquendi formulà usus fuisset, à communione Dominica abstineret, quæ paulò diversam videtur habere sententiam. 2. Siricius à communione sua non secludit nisi eos, qui in violandis regulis à se præscriptis futuri essent postmodum contumaces: *si quis sanè instatus mente carnis suæ ab hac Canonis ratione voluerit evagari, &c.* Patres autem Concilii Turonici de iis sermonem faciunt, qui jam cecidisse convicti fuissent: *Ut quicumque sacerdos, vel Levita filiorum procreationi operam dare fuisset convictus, à Communione Dominica abstineret.*

5. Denique tantum abest ut Concilium Turonicum à Siricii, & Innocentii mente recesserit, ut, ad eam fidelius sequendam, excommunicationis pœnam contra Clericos incontinentes sustulisse videatur, & promotionem tantum ad altiores Ordines, vel exercitium jam susceptorum prohibuisse. Quantum Canon Turonicus cum Siricii Decreto consentiat, ex illorum inter se collatione unicuique licet agnoscere; Iste est Canon 2. Concilii primi Turonensis: *Et licet à Patribus nostris emissa autoritate id fuerit constitutum, ut quicumque sacerdos, vel Levita filiorum procreationi operam dare convictus fuisset, à Communione Dominica abstineret: Nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes, & justam constitutionem molientes, id decrevimus, ut sacerdos vel Levita conjugali*

gali concupiscentia inhaerens, vel à filiorum procreatione non desistens, ad altiorum gradum non ascendat, neque sacrificium Deo offerre, vel plebi ministrare praesumat; sufficiat his tantum ut à Communionem non efficiantur alieni, &c. Decretum autem septimum Siricii sic habet; Et quia aliquanti, de quibus loquitur (ut tua sanctitas retulit) ignoratione lapsos esse se desunt, His hac conditione misericordiam dicimus non negandam, ut sine ullo honoris augmento, in hoc, quo detecti sunt, quandiu vixerint, officio perseverent, & tamen post hac continentem se studuerint exhibere. Hi vero, qui illiciti privilegii excusatione nituntur, & sibi asserunt veteri hoc lege concessum, noverint se ab omni Ecclesiastico honore, quo indignè usi sunt, Apostolica Sedis autoritate dejectos, nec unquam posse veneranda attingere mysteria, à quibus se ipsi, dum obscenis cupiditatibus inhiant, privaverunt. Innocentii Decretum isti omnino simile est.

6. Sed qui sunt igitur Patres illi, quos innuit Concilium Turonense? Fortasse Patres Concilii II. Arclatensis, qui tertium hunc Canonem condiderunt: Si quis Clericus à gradu Diaconatus in solatio suo mulierem praeter aviam, matrem, sororem, filiam, nepotem, vel conversam secum uxorem habere praesumpserit à Communionem alienus habeatur. Par quoque & mulierem, si se separare voluerit, poena percellat. Illis enim verbis conversam uxorem intelligi propriam uxorem, quàm cum non habeatur amplius carnale commercium, notat Jacobus Sirmundus circa tertium ejusdem Concilii Canonem: converti dicebantur, inquit conjuges, cum ex mutuo consensu separabantur, & promittebant castitatem, hoc ubi fecerant, conversi, & conversa appellabantur, ut conversa uxor Canone sequenti. Non ergo summorum Pontificum se superiorum, sed Concilii alterius Decreta temperavit Synodus Turonensis.

7. Secundum exemplum, quod praedictus D. Petrus de Marca profert novarum Ecclesiae legum discutiendarum, sumptum est à Concilio Francofordiensi anno 754. cui Carolus Magnus Rex, & Adriani Primi Papae Legati interfuerunt, à quo rejecta fuit secunda Synodus Nicæna. Sed primum Bellarminus, & alii quamplures arbitrantur, non Synodi Canones veros sed spurios, & ab Iconoclastis confictos, ad Gallos fuisse transmissos, & Francoforti reprobatos, idque ex Concilii ipsiusmet verbis Can. 2. non obscure conjici. Patres enim Francofordienses Nicænis, quos Constantinopolitanos appellant (ut videas illos etiam loci, ubi habitum fuerat

fuerat Concilium non esse conficiós,) sententiam tribuunt ab illorum expressa protestatione, & à fide Catholica nimis alienam, scilicet cultum patriæ sacris Imaginibus absolutè exhibendum, quod perspicuis verbis Patres Nicæni negant Act. 7. in Decreto fidei. En verba Canonis 2. Francofordiensis. *Allata est enim in medium quæstio de nova Græcorum Synodo, quam de adorandis imaginibus Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur, ut qui imaginibus Sanctorum, itant Deis& Trinitati servitium, aut adorationem non impenderent, anathema judicarentur, qui supra sanctissimi Patres nostri omnimodis adorationem, & servitutum reuertes contempserunt, atque consentientes condemnauerunt.* En jam verba Concilii II. Nicæni docentis Act. 7. in Decreto Fidei, quomodo colendæ sint imagines, scilicet ad honorariam his adorationem tribuendam. Non tamen ad veram latrian, quæ secundum fidem est, quæque solam Divinam naturam decet, impartiendam.

8. Secundò si supponamus vera septimæ Synodi Acta fuisse ad Gallos delata, ut suadere videtur Legatorum præsentia, quos Iconoclastarum fraus non fefellisset, ipsemet Petrus de Marca duplicem insinuat rationem rejectæ Synodi (& utraque ex Canone modò relato colligitur) alteram, quia Synodus illa œcumenica non credebatur, alteram quia non rectè intelligebantur ejus Decreta, quorum ambigua, & confusa erat interpretatio. Quid igitur iuvat ad stabiliendum jus, vera Ecclesiæ universalis, aut summi Pontificis Decreta examinandi, rejectio Canonum, qui & à Concilio particulari editi, & Conciliorum œcumenicorum, summorumque Pontificum sententiæ contrarii existimabantur.

9. Tertio non fiebat à Concilio Francofordiensi Concilii œcumenici aut sanctæ Sedis autoritati præjudicium, cum de re controversa summi Pontificis, sancti scilicet Gregorii de imaginibus doctrinam se sequi profiteretur, ac Concilium Nicænum Græcorum tantum esse crederet.

10. Quarto quid ex illo exemplo, si Galli in repudiandis veris Decretis Synodi Nicænz perstitissent, legitimè concludi posset, nisi gentem illam erroris, & schismatis periculo sese committere, cum Ecclesiæ Decretorum arbitram sese constituit? Ac reipsa illos tunc temporis hæreticos fuisse, fatetur ingenuè Jac. Sirmondus to. 2. Conc. Gall. dum

44 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
ait, se prætermittere Acta Concilii Parisiensis an. 824. Quod
Gallorum ejus seculi ab imaginum adoratione abhorrentium hæresim redoleant.
Illæne libertates Ecclesiæ Gallicanæ nuncuparentur? sed re-
cepta fuere in Gallia illius Synodi Decreta, ut ex Gallorum
erga sacras imagines religioso, & antiquo cultu demon-
stratur.

11. Tertium exemplum sumitur à non acceptatis, & non
observatis aliquibus Canonibus octavæ Synodi Constantino-
poli habitæ sub Adriano II. ad quod respondebimus lib.
3. cap. 7.

C A P U T X V.

*An origo Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ circa veterem
disciplinam referenda sit ad Pragmaticam Sanctio-
nem sancti Ludovici.*

1. **I**llustrissimus Petrus de Marca lib. 4. de concord. &c.
cap. 9. n. 4. S. Ludovicum, qui decessit anno 1270.
laudat primum libertatis Ecclesiæ Gallicanæ restitutorem, his
verbis; Huic gloriosissimo Regi prima debetur libertatis Ecclesiæ Gallicanæ
restitutio, quam suo edicto post mutata disciplinam in Beneficiorum collationi-
bus anno 1268. procuravit; quo uno capite contentiones inter Episcopos, &
Romanam Curiam tunc fere continebantur; Ex quibus verbis duo con-
sequerentur: primum libertates Ecclesiæ Gallicanæ ante tem-
pora S. Ludovici non nisi circa Beneficiorum collationem vio-
latas fuisse; 2. Violationem illam non longè ante tempora
S. Ludovici contigisse.

2. Odiosum certè esset istud principium tum ex parte san-
ctæ Sedis, tum ex parte Galliæ, cum Romani Pontifices ab
antiqua disciplina primum recessisse supponantur, ut Bene-
ficiorum collationem usurparent, tantusque in eo fuisse abu-
sus, ut sanctissimus Rex cum suis Edictis cohibere coactus
sit. Invidiosa etiam res esset quod Galli summum Pontifi-
cem è Gallia ortum, cum aliis virtutibus, tum vel maxi-
mè propinquitatis carnalis in distribuendis Beneficiis, & re-
ditibus Ecclesiasticis, contemptu insignem, ceu tyrannum existi-

existimassent, adversus quem invocanda fuisset potestas secularis, & in rejiciendis illius ordinationibus circa Beneficiorum collationem, & Ecclesiasticorum proventuum constituenda Ecclesiæ libertas. Sed plurima sunt, quæ certissimè suadent constitutionem illam S. Ludovici; quam Pragmaticam Sanctionem vocant, aut suppositam esse omninò, aut nihil adversus sanctam Sedem molitam fuisse.

3. Dum constitutio illa de Beneficiis, & aliis juribus Ecclesiasticis loquitur, nullam omninò summi Pontificis, aut sanctæ Sedis mentionem facit. Cur igitur verba ejus tam odiosa interpretatione in illam partem detorquentur? Ante illa tempora Ecclesia Gallicana injurias quamplurimas circa suos redditus, circa Beneficia, & circa disciplinam perpeffa fuerat à Laicis; iisque malis, ut sese obtulerat occasio, medicatus fuerat religiosus Rex. Ipsemet Petrus de Marca lib. 3. cap. 1. citat eximias ejus literas anno 1228. datas, quibus Ecclesiasticam libertatem, non adversus Curiam Romanam, ut legenti evidenter patet, sed adversus hæreticos, aliosque raptos vindicaverat. *Cupientes, (verba sunt illarum literarum) in primis etatis, & Regni nostri primordiis illi servire, à quo Regnum recognoscimus & id quod sumus, desideramus ad honorem ipsius, qui nobis culmen dedit honoris, quod Ecclesia Dei, quæ in partibus vestris longa tempore fuit afflicta, & tribulationibus innumeris conquassata, in nostro Dominio honoretur, & feliciter gubernetur: Unde de magnorum, & prudentium consilio statuimus, quod Ecclesia, & viri Ecclesiastici in terris constituti prædictis, libertatibus, & immunitatibus utantur, quibus utitur Ecclesia Gallicana, & eis plene gaudeant, secundum consuetudinem Ecclesia memorata. Et infra; sane quia Ruptarii solent devastare, ac demoliri terram prædictam, & quietem Ecclesia, & Ecclesiasticorum virorum turbare; statuimus, ut omninò Ruptarii illis expulsi pax perpetuò servetur in terra, ad quam servandam dent omnes operam efficacem. Decima sanè, quibus fuit Ecclesia longo tempore per malitiam inhabitantium defraudata, statuimus, & ordinamus, quod restituantur Ecclesiis; Et AMPLIUS LAICI DECIMAS NON DETINEANT, SED EAS ECCLESIAS LIBERE, HABERE PERMITTANT. Litteræ illæ S. Ludovici in aliis Innocentii IV. ad Reginam Gallia anno 1250. miris laudibus extolluntur. Utrasque in Archivio Narbonensi asservari testatur Baluzius. De hujusmodi libertatibus adversus Laicorum rapinas, & tyrannides*

46 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
intelligenda est Pragmatica Sanctio Christianissimi Regis;
non adversus sanctam Sedem.

4. Carolus Fevret, quem certè Curia Romanæ nimis
favisse suspicabitur nemo, disertè affirmat Constitutionem
illam summi Pontificis jura non attigisse. Ista sunt ejus
verba lib. 2. de abusu cap. 7. n. 3. „Pragmatica S. Ludovici
„Regis non declarat abrogatas esse præventiones; sed tan-
„tùm BENEFICIA ESSE AB ORDINARIIS CONFERENDA
„IUXTA SANCTA DECRETA, ET SANCTIONES CANONI-
„CAS, QUÆ ETIAM POTESTATEM, ET SUPERIORITATEM
„S. SEDIS IN SPIRITUALIBVS ADSTRVNT.

5. Verum quidem est Pragmaticam illam Sanctionem, prout
à Recentioribus refertur, articulum complecti de exactioni-
bus Curia Romanæ, qui articulus 5. est, hisque verbis con-
tinetur. Item exactiones, & onera gravissima pecuniarum per Curiam Ro-
manam Ecclesia Regni nostri impositas, vel imposita, quibus Regnum nostrum
miserabiliter depauperatum exiit, sive etiam imponendas, vel imponenda le-
vari, aut colligi nullatenus volumus nisi dumtaxat pro rationabili, pia, &
urgentissima causa, vel inevitabili necessitate, ac de spontaneo, & expresso
consensu nostro, & ipsius Ecclesia nostri Regni. Sed articulum illum fal-
sò insertum esse, tam efficacibus argumentis convincitur,
ut, si à cæteris non separetur, totam illam Pragmaticam fal-
sam esse demonstrat.

6. Equidem integram illam suppositam esse sentiunt etiam
scriptores Gallici, præsertim eruditissimus vir Ludovicus
Thomassin. tom. 3. de Benef. par. 4. lib. 2. cap. 10. num. 11,
ubi asserit: „eam nullo solido fundamento, neque ullius
„Autoris antiqui, & cui plena fides adhibeatur, testimo-
„nio fulciri. Fufius, & validius eam impugnat cap. 41. n.
4. ejusdem libri, & lib. 3. cap. 24. num. 17. sunt argumen-
ta non pauca contra integram Constitutionem, sed sunt
etiam specialia contra quintum articulum, qui solus, ut dixi,
ad S. Sedem attineret.

7. Primò Pragmatica illa à nemine allegata fuit usque ad
tempus schismatis Avenionensis & contentionis Ecclesia Gal-
licana contra Pontifices, hoc est ferè 200. annis à tempore,
quo condita supponitur.

8. Secundò nec etiam tunc in lucem edita fuit, sed ad-
huc

huc plusquam centum annis post eam allegationem, id est anno 1515. in subsidium scilicet alterius Pragmaticæ Sanctionis à Carolo VII. tempore Concilii Basileensis promulgata.

9. Tertiò pluries typis excusa est sine articulo illo supra relato. Eo enim omisso refertur in Bibliotheca Patrum per Margarinum de la Bigne, Doctorem Sorbonicum tom. 6. cujus intra 30. annos tres factæ sunt editiones Parisiis, cum privilegio, quarum ultima est anni 1609. Eodem modo habetur in Bibliotheca Patrum, Doctorum Colonienfium anno 1618. tom. 13. Cæsar Egaffius Bulæus in hist. univers. Paris. an. 1666. edita tom. 3. pag. 391. illam etiam exseribit absque illo articulo.

10. Quartò nullam habet verisimilitudinem, quod sanctus ille Rex, cujus tanta erat in sanctam Sedem reverentia, Edicto solenni Romanæ Curia Officiales, ut jurium Episcopaliū usurpatores comprimere voluisset, eosque tantæ cupiditatis incusare, ut Regnum ab eis suum fuisse ad pauperiem redactum enunciaret. Si qua fuisset adversus hanc Curiam querela; precibus, cohortationibus, monitionibus, vel, si vis, etiam minis significasset; non autem publicâ Constitutione. Qui esset Christianissimus ille Rex, erga sanctissimam Sedem affectus, anno sequenti demonstravit, cum inter alia, quæ filio suo monita, quasi hæreditariam successionem testamentò descripsit; duò ista præsertim commendavit; *Sis devotus, & obediens Matri nostræ Romanæ Ecclesiæ, ET SYMMO PONTIFICI TANQVAM PATRI SPIRITVALL. Præmiserat. Sis diligens, quod omnes subditi tui justitiâ, & pace fruantur; MAXIME AVTEM PERSONÆ ECCLESIASTICÆ ET RELIGIOSÆ.* Adducto deinde Avi sui Philippi Augusti exemplo, qui ab Ecclesiasticis injuriam sibi fieri malebat, quàm cum eis contendendo Ecclesiam scandalizare, sic concludit; *AMA IGITVR Ô Fili PERSONAS ECCLESIASTICAS, ET SERVA PACEM EORVM, QVANTVM POTERIS.* Quis credat Principem, qui filio exemplum proponit tolerandæ injuriæ ab Ecclesiasticis viris illatæ, diffidii cum eis vitandi causa, anno præterito jugum non sibi, sed Regni sui Beneficiis à Curia Romana impositum Pragmaticâ suâ Sanctione compescere voluisse? Non erat certè mos ad-
huc

48 TRACTATUS DE LIBERTATIBVS,
huc inductus, nec à S. illo Rege profectus est, autoritatem
Regiam sanctæ Sedis ordinationibus opponendi, sed potius
Ecclesiam à Laicorum vexationibus vindicandi.

11. Quintò, anno 1268. quo condita fertur hæc Pragmatica,
S. Ludovicus ad secundam in Terram sanctam expeditionem
cum summi Pontificis consilio se accingebat. Quare improba-
bile omnino est, sanctissimum illum Regem immoderatas Offi-
cialium Curie Romanæ exactiones Papam celaturum fuisse,
iisque remedio ipsi Pontifici probroso (cùm in eum recide-
rèt Officialium culpa) occurrere maluisse.

12. Sextò præsertim cùm tunc temporis Ecclesiæ præflet
Clemens IV. Natione Gallus; alienissimus ab omni avaritia,
& carnali in parentes affectu, quorum occasione bona Eccle-
siastica sæpè cumulantur, & dilapidantur. De illo Pontifice
sic loquitur Genebrardus ad annum 1265. *Optimus Pontifex bona
Ecclesiæ optime dispensavit. Cùm duas filias ex mortua uxore ante Pontificatum
suscepisset; uni in Monasterio collocata triginta tantum libras dedit. Alteri
300. libras dotis nomine, Clerico nepoti tres Præbendas habenti duas abstulit,
se dicens Deo, non carni; & sanguini velle acquiescere.* An igitur sub
tali Pontifice opus fuisset ut S. Ludovicus Edicto suo Roma-
næ Curie rapacitatem sifteret, aut Beneficiorum, & bono-
rum Ecclesiasticorum administrationem, & usum, quæ res
ad Ecclesiæ jurisdictionem propriè pertinet, Pragmaticâ san-
ctione moderaretur.

13. Si quod fuisset tunc temporis exactum ab Ecclesia Gal-
licana subsidium, non nisi ad iuvandum in expeditione belli-
ca S. Ludovicum impendendum fuisse prudentissimus quisque
judicaret.

C A P U T X V I.

Vera origo, & progressus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.

x. **E**X omnibus malis, quæ dissidium inter Bonifacium
VIII. & Philippum Pulchrum consecuta sunt, maxi-
mum, & aliorum quamplurimorum causa fuit schisma. Cùm
enim Clemens V. Philippi operâ ad summum Pontificatum
euectus

electus fuisset, Sedem Avenione, sicut Regi promiserat, constituit anno 1305. ibique commorati sunt subsequentes Pontifices usque ad annum 1375. quo Gregorius XI. Sedem Avenione Romam retulit; Eo Romæ defuncto anno 1378. Cardinales, qui majore ex parte Galli erant, Bartholomæum Prignianum Bari in Apulia Episcopum elegerunt, qui Urbanus VI. appellatus est. Sed quia novus Pontifex se Cardinalium severum animadversorem, & reformatorem præbuit, eosque hac de causa inensos habuit, illi Anagninam primum, deinde Fundos secesserunt, ubi Conventu facto electionem Urbani VI. utpotè gravi metu extortam, irritam declarantes, Robertum Cameracensem Episcopum, & Cardinalem renunciarunt Pontificem, qui Clemens VII. dici voluit. Hunc promovit, defenditque præcipue Joannes Grangius, Gallicè *la Grange*, Cardinalis, & Episcopus Ambianensis, Urbano inimicus, & gratiâ Caroli VI. Francorum Regis potentissimus. Romæ Urbanus hæsit, Clemens Avenione Sedem fixit. Hinc exortum est lugendum illud schisma, quod Ecclesiam miserè laceravit usque ad annum 1417. quo tempore Concilium Constantiense abrogatâ de Pontificatu contendentibus Dignitate, novum creavit Pontificem Odonem Columnam Cardinalem tituli S. Georgii in Velabro, qui sibi Martini V. nomen indidit, quiq̃e solus postea legitimus Pontifex agnitus est.

2. Tempore autem illius schismatis cum uterque Pontifex ad tuendam suam Dignitatem maximis sumptibus, & potentibus amicis indigeret, gravia Beneficariis onera imponebat, Beneficiorum collationem sibi reservabat, multaque contra disciplinam antiquam committebat. Quamobrem Galli, in quorum jam animis tempore Bonifacii VIII. avita erga summos Pontifices observantia, aliquantum refrixerat, maximè autem Clerus tanti ponderis impatiens, & Universitas studii Parisiensis, cujus tunc temporis magna erat non solum in Ecclesia, sed etiam in Republica autoritas, quæque molestè ferebat viris litteratis Beneficia non conferri, de excutiendo illo jugo cogitarunt; quare Regis, Senatus Parisiensis, & Regni Primatum opem implorarunt, ac promptam nacti sunt: Itaque sub Carolo VI. cum adhuc ætate, ac deindè mente debilis

bilis esset; in medium adducta est libertas Ecclesiae contra Pontificum exactiones, ac Beneficiorum reservationes, tanquam antiquis moribus, & Canonibus contrarias, ac sensim contra cetera omnia, quae nimis gravia videbantur, in quo potentia saecularis cum Clero consensit, eumque maximepe-
re juvit. Hinc Doctorum Parisiensium, sed multo magis Jurisconsultorum animos invasit studium quoddam libranda Pontificiae auctoritatis, ne ultra positos sibi à Christo terminos in praedictum Cleri, aut Regni produceretur. Deinde etiam ad Concilia oecumenica examinanda, libertas illa protensa est.

3. Anno 1438. in Conventu, qui Ecclesiae Gallicanae nomine censebatur, Bituricis examinata, temperata, & sic accepta, ac in unum corpus redacta sunt praecipua Concilii Basileensis Decreta, exactionibus, & Beneficiorum reservationibus obstantia, idque Pragmaticam sanctionem vocant, quam Carolus VII. confirmavit, & observari praecipit. Fuit aliquandiu haec Sanctio, seu Thesaurus, ac Promtuarium libertatum Ecclesiae Gallicanae. Quidquid contra ibi contenta tentabatur, Regis, aut Senatus convellebatur auctoritate.

4. Verum summi Pontifices Pragmaticam illam sanctionem abominati sunt tanquam juribus suis infestam, ac quasi schismatis foetum tunc temporis editum, cum Concilium Basileense legitimum non esset, absente, ac etiam contradicente Eugenio IV. Papa, & maximo Cardinalium, & Episcoporum numero, qui cum summo Pontifice Florentiae Concilium habebant (quo vocati fuerant etiam Patres Basileae degentes.) quorumque Decreta, utpotè à capite cum pluribus membris derivata, Episcoporum Basileensium Decretis longè erant anteposenda. Tandem Pontificum diligentia Pragmatica illa sanctio primùm à Ludovico XI. deindè à Francisco I. Regibus Franciae fuit abrogata, ut testantur illorum Edicta.

5. Senatus quidem & Universitas studii Parisiensis, imò Clerus universus diutissimè illam propugnauerunt, sed tandem Romanis Pontificibus, Regibus Galliae, ac usui cedere coacti sunt, quamvis, ut saepe significarunt, invitati. Nam adhuc anno 1636. cum in Comitibus Cleri Gallicani Procura-
tores,

tores, seu Promotores inter Acta Cleri paulò ante collecta, Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. relata fuisse, atque inde tacitum Cleri consensum, & Concordatorum approbationem fortassis inferendam monuissent, Comitibus authenticè declararunt, instrumentum illud ad Ecclesiasticorum virorum commoditatem, non autem in majoris approbationis signum illis fuisse insertum. Itaque licet titulo 1. Concordatorum prædictorum referatur ea fuisse Statuta loco dictæ Pragmaticæ Sanctionis, ac omnium Capitularum in ea contentorum: Tamen adhuc nonnulla retinentur, quæ Concordatis expressè contraria non sunt.

6. Cæterum Ecclesia Gallicana, quæ, ut se à summorum Pontificum exactiõibus, & Beneficiorum reservationibus liberam servaret, ad Potestates sæculares recurrit, Potestatis sæcularis facta est serva, & cum Romani Pontificis jurisdictionem molestè, ac graviter tulit, suam, à laica ferè omninò absorptam gemuit. Testantur enim Parliamentorum placita, Advocatorum libri, imò frequentes Cleri Gallicani querelæ, prætextu tuendarum libertatum Gallicanarum, & impediendorum abusuum, jurisdictionem Ecclesiasticam à sæculari esse ferè penitè extinctam.

7. Nec magna futuræ restitutionis spes affulget. Cum enim summi Pontificis autoritas in Gallia plenè vigeret, poterat Episcopis, aliisque Ordinis Ecclesiastici viris ad defendenda sua jura opem ferre. At nunc eam imminutã, etiam postulante Clero, aut potiùs constricto ejus potestatis usu, parùm efficax auxilium à sancta Sede sperari potest, nisi Christianissimi Regis religio ad majorum suorum exemplum, certò sibi persuadeat, maximam gloriæ suæ partem in liberanda, & protegenda Ecclesia esse positam, suamque autoritatem, sicut pro fide restauranda, sic pro restituenda Ecclesiæ libertate serio impendat.

8. Sicut igitur Gallia ipsa exactiõibus, ac Beneficiorum reservationibus, quibus se à Pontificibus, vel ab eorum Officialibus premi conquerebatur, occasionem præbuerat, Pontifices Avenionem advocans, ut viciniore haberet, ac postmodum in schismate inter plures Pontifices Avenionensium partes amplectens; sic etiam ut se adversus illa onera contra

Potestatem Ecclesiasticam tueretur ad laicam recurrens, ab ista in durio rem, ac miserabiliorem servitutem redacta est. Hoc utrumque testantur scriptores Gallicani. Genebrardus Chron. lib. 4. in Clement. V. de translatione Sedis Pontificiae, ista scripsit; Denique haec Sedis Apostolica translatio valde sedavit antiquam Ecclesiae faciem. Nam praeter inauditas dispensationes, & sanctorum Canonum emendationes, perit illud Divinum jus, saecularia saecularibus, & regularia regularibus, maxime in Gallia, dum Pontifices hujus transmigrationis plusquam Babilonica (nam observantiam regularem, disciplinam Ecclesiasticam penè totam, jura denique confudit, corrupitq;) Patria, & Principibus impiè favore gessunt. En servitutis origo, en libertatis vindicta occasio.

9. Pragmaticam Sanctionem Judicibus saecularibus ad opprimendam, & ferè extinguendam Jurisdictionem Ecclesiasticam, viam stravisse docet Tractatus de jurisdictione Ecclesiastica tom. 1. cap. 9. Actorum Cleri, editionis anni 1673. exscriptus, cujus verba referemus, cum de Appellationibus tanquam ab abusu disputabimus.

10. Non est tamen hic omittendum Edmundum Richerium Doctorem, ac Socium Sorbonicum in Libello de Ecclesiastica, & politica potestate num. 13. Gallicanarum libertatum originem appellationibus ab abusu tribuere; Hec ratio procedendi Gallorum, inquit, de hujusmodi appellationibus loquens; originem praeiit Ecclesiae Gallicanae libertatibus, ut eas vulgo nominant. Quae certè origo, si vera est & plurimum est Ecclesiae odiosa, nec multum antiqua.

